DE
PEDIBUS SOLUTIS
IN DIALOGORUM SENARIIS
AESCHYLI, SOPHOCLIS, EURIPIDIS.

SCRIPSIT

[Carl Friedrich Theodor]
Dr. CAROLUS FRIDERICUS MÜLLER.

BEROLINI
APUD WEIDMANNOS
MDCCCLXVI.

VIRIS ILLUSTRISSIMIS

ERNESTO LUDOVICO DE LEUTSCH,

HERMANNO SAUPPE

HAS STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

OFFERT

AUCTOR.

Quicunque in veterum Graecorum scriptis accurate atque industrie perlegendis posuerit operam, quin perspiciat vix fieri posse putaverim, quam diligenter et enixe scriptores antiquioris saltem temporis id studuerint, ut summus efficeretur concentus rerum, quas sibi tractandas sumerent, et sermonis, quo exprimerent sensus et argumenta. Quam legem quum omni modo servaverint atque quamdiu litterae floruerunt numquam violaverint, haudquaquam poterit movere admirationem, quod externam, ut ita dicam, formam et habitum scriptorum negligenter vel rudi modo composita nusquam invenimus, egregiam ubique sermonis elegantiam atque dignitatem quandam verborum animadvertimus. Quod studium quanti fecerint veteres quantamque habuerint rationem urbani scriptorum coloris, apparet ex eo, quod omnes fere vel poetae vel prosarii artem praeceptoribus utentes didicisse feruntur, ut Pindarus a Laso et Agathocle, Sophocles ab Aeschylo leges acceperunt carmina condendi ac componendi; — quid, quod Sophoclem ipsum de choro scripsisse tradit Suidas [1])? —

Quae quum ita sint, qui accurate auctorum veterum opera tractare eorumque praestantiam quam diligentissime cognoscere in animo habeat, eum maxime etiam ad externam formam eamque artem, qua composita sint scripta, percipiendam studia conferre oportere quis est qui neget?

---

1) s. s. *Σοφοκλῆς*: „*καὶ ἔγραψε ἐλεγείαν τε καὶ παιᾶνας καὶ λόγον καταλογάδην περὶ τοῦ χοροῦ πρὸς Θέσπιν καὶ Χοίριλον ἀγωνιζόμενος.*“

Itaque qui in prosariorum scriptis naviter versari consilium cepit, ut rhetorices haud sit imperitus, jure videtur postulari; qui vero ad poetarum carmina legenda aditurus est, ut antea Graecorum arti metricae det operam esse prorsus necesse quivis concedet. —

Metricae studium omnino prae ceteris esse frugiferum, facile intelliget, qui consideraverit, eam jure haberi haud leve exiguumve criticae faciendae subsidium, quippe qua duce quaestiones permultae vel plane discernantur vel propius ad discrimen afferantur, quae alio modo solvi nequeant. Quo magis haud scio an cui mirum videatur, tot per saecula fere omnino neglecta hac disciplina, R. Bentleyum primum, „virum illum divini ingenii" [1]), plurimum studii rei metricae impendendum vidisse ipsumque viam monstrasse, in qua alii dein longius progrederentur. Quod quum diu intermissum esset (ut solet longum exoriri silentium, ubi quis prorsus nova protulit), ineunte nostro demum saeculo permulti iique viri magnae accurataeque doctrinae, summo studio incensi in metrica diligentissime tractanda operam consumserunt. Qua in re quam eximia praestiterint, qui Porsoni, Hermanni, Seidleri, Boeckhii, Elmsleyi, nec non Rossbachi et Westphali noverit opera, facillime intelliget. —

Etsi vero egregiis horum aliorumque virorum studiis laboribusque metricae cognitionem summopere ac paene incredibili modo auctam esse negari nequit, singula tamen permulta adhuc exstare, quae nondum omni ex parte absoluta atque ad certum jam finem perducta videantur, sed diligentiore etiam indigeant disquisitione, quis miretur? Nisi forte credis fieri posse, ut qui universam metricae doctrinam tractare atque complecti constituerit, in omnes simul res minutissimas quaestionesque subtilissimas, quales, quae est illa disciplina, saepissime exoriuntur, descendat easque plane absolvat.

---

2) G. Hermanni elementa doctr. metr., praef. XII.

Accedit, quod quae tradita habemus de veterum Graecorum metris ac rhythmis, partim a grammaticis ipsis, qui ea scripsere, male et perverse sunt intellecta nec satis docte tractata [1]), partim libris negligenter scriptis multifarie corrupta accepimus, ut modo fragmenta tantum servata sint, modo additamentis atque interpolationibus recentiorum metricorum obruta lateant genuina. — Quae quum ita sese habeant, ne fallamur minime esse verendum apparet, si poetarum Graecorum scripta ipsi accuratissime perscrutemur atque subtilissima observatione adhibita invenire studeamus, quasnam potissimum regulas in componendis versibus secuti sint veteres auctores. Qua in re ne observationes, quas fecisse nobis videmur, statim tamquam leges accipiamus, quibus poetae fuerint obstricti [2]), caveamus maxime necesse; quin immo ne diligentissima quidem exemplorum comparatione effici posse putaverim, ut legem aliquam vindicari liceat poetis metricam, nisi ea ex rhythmorum natura data vel expressis verbis veterum praeceptis rhythmicorum, qui dicuntur, tradita sit. — Sed, ut jam diximus, ante omnia accuratissima opus esse observatione atque inquisitione subtilissima, quae etiam minuta interdum investigare non aspernetur, si certa atque ex omni parte vera assequi velimus, nemo non perspicit. —

Ipse igitur, de pedibus solutis in dialogorum senariis Aeschyli, Sophoclis, Euripidis ut scriberem consilio capto, quamquam plurima eaque gravissima de hac re jam a Porsono aliisque prolata esse intellexeram, tamen operae pretium fortasse facturus mihi videbar, si omnibus omnino exemplis collatis hanc rem accuratissime retractarem. Quodsi forsan in tanta rerum copia incidi in errores ac nonnulla non qua debebam sollertia exposui, alia omnino omisi, his benevole ignoscatur velim, quum me ipsum mi-

---

[1]) Cf. G. Hermanni elem. doctr. metr., praef. p. VII sqq.

[2]) Quod in vitium plurifariam incidisse videtur Porsonus in praefatione illa notissima ad Eurip. Hecubam.

nime fugiat, materiam esse majorem, solutionum molem largiorem, quam cui ordinandae et explicandae, qua ratione oportet, vires meae exiguae sufficiant. — Contra in hac commentatione si quae inveneris, quibus qua arte veteres poetae composuerint versus inque primis quam diligenter et artificiose tractaverint trimetrum iambicum, clarius etiam appareat, si alias quoque quaestiones, quae majoris esse videantur momenti, his observationibus nostris melius, quam antea, posse dirimi ac discerni censueris, satis magnum habere fructum laborem nostrum arbitrabimur. —

Ceterum eam esse ineundam in hac perquisitione viam putavi, ut primum paucis de iambo ejusque natura et indole, nec non de trimetro iambico expositis, de singulis deinceps, quae usurpatae videntur a tragicis, solutionibus, de tribrachis, dactylis, anapaestis disputarem. —

Iambus unde nomen acceperit, jam veteres ambigunt. Schol. ad Hephaest. (p. 168, 18 et 182, 12 sec. Gaisford) derivandam esse hanc vocem censet „ἢ ἀπὸ Ἰάμβης τῆς Κελεοῦ θεραπαίνης . . . [1]), . . . ἢ ἀπὸ Ἰάμβης τινὸς κόρης αἰσχρῶς ὑβρισθείσης“ . . ., ἢ ἀπὸ γραός τινος Ἰάμβης καλουμένης [2]) . . ., ἢ ὅτι τὸ λοιδορεῖν ἰαμβίζειν ἐλέγετο, ἀπὸ τοῦ ἰὸν βάζειν“ . . ., et altero loco: „— — καὶ διὰ τοῦτό φασι συντεθῆναι τὸν ἴαμβον ἐκ βραχείας καὶ μακρᾶς, διὰ τὸ τὴν ὕβριν ἐκ βραχείας ἀρχομένην αἰτίας εἰς μέγα λήγειν κακόν“, quam vocabuli etymologiam etiam Eustath. ad Hom. Od. λ, p. 1684 tradit. Aliam atque eas, quas modo commemoravimus, explicationem verbi dat Mar. Victorin. (p. 2487, sec. Putsch.), dicens iambum nominari pedem „ἀπὸ τοῦ ἰέναι βάδην“; „a brevi enim profectum per longum eum porrigi.“ — Quas omnes esse nugas merasque hariolationes

---

1) Id quod etiam Schol. ad Nicandri Alexipharm. 130 tradit.

2) Cf. Drac. 162.

grammaticorum et nullam earum explicationum habere, quo recte defendi possit, luce clarius apparet. Nisi forte quis credit, posse componi in lingua Graeca ἴαμβον ex ἰὸν βάζειν vel ex ἰέναι βάδην, aut veri esse simile sibi persuadet, a certo iambicae poeseos genere, a trimetro, posteriori demum tempore magis exculto, datum esse nomen toti numero. Quod quantum abhorreat a vero quaque ratione nomen illud sit explicandum exponit E. de Leutsch. („fragmenta metrica“ in Philol. XI, 333), secutus Ilgenium (ad Scol. Graec. p. CXVIII) et Pottium (in libro: „etymologische Forschungen“ I, p. 181 (edit. I.)), qui cum ἰάπτω cohaerere vocem ἴαμβος demonstraverunt. Significat igitur vocabulum pedem, qui, ut Quintiliani utar verbis (institt. orat. IX, 4, 136), „quasi insurgat et a brevibus syllabis ad longas nitatur et crescat“. Cf. etiam Diomed. p. 473 (sec. Putsch.). Aptissime comparat Leutschius l. l. cum iambi nomine anapaestum et trochaeum, quos quis est quin cernat eadem ratione ab ἀναπαίω, τρέχω esse nominatos? —

Sed quotquot ineptias continent grammaticorum isti conatus nominis „ἴαμβος“ aliquo saltem modo explicandi, id haud scio an luculentissime ostendant, omni tempore habitum esse τρίμετρον ἀκατάληκτον, senarium quem dicunt Latini, numeri iambici versum summae perfectionis; ac suo jure videtur Hermannus (elem. doctr. metr. lib. II. c. 14. §. 1) secundum hexametrum heroicum omnium eum nobilissimum nominare versum, quippe qui et antiquissimo tempore sit ortus et per omnia saecula omnibus in poeseos generibus, quin immo in epico apud Byzantinos (cf. Freese, „griechisch-römische Metrik“ p. 175), reperiatur usurpatus. Quis primus invenerit hunc versum, de ea re „grammatici certant et adhuc sub judice lis est“; ad antiquissima vero eum pertinere tempora, veteres semper persuasum habuisse, qui legerit tradita a Schol. ad Hephaest. supra allato de origine versus, quique contulerit Heraclid. Pont. apud Athen. XV, 701, *E*, Terent. Maur. 1586 (p. 2418 sec. Putsch.), Schol. ad Hom. Il. *Z*, 35 et Eustath.

ibid. p. 623 (ed. Rom.) [1]), nullo, opinor, pacto infitiabitur. Vetera oracula pronuntiata esse in trimetris iambicis, affert Schol. ad Aristoph. Nub. 145, eodemque scriptae metro cantilenae populares antiquissimi temporis inveniuntur apud Pollucem (Onomast. 125) [2]), nec non paroemia [3]).

Quod quacumque sese habet ratione, id certo constat, imprimis Archilochum hunc excoluisse numerum eoque utentem tota composuisse carmina, qua re factum, ut ipse eum versum invenisse dicatur [4]). Quem secuti Simonides, Hipponax, Solon ceterique iambographi qui dicuntur. — Omnium vero saepissime in fabulis Graecorum usu venit hic versus, in quibus vix dici potest quanto opere sit variatus atque nobilitatus. Fabularum dictioni cur maxime sit aptus atque conveniens trimeter, docent loci Aristot. Poet. 4. §. 18 „... *τό τε μέτρον ἐκ τετραμέτρου ἰαμβεῖον ἐγένετο. τὸ μὲν γὰρ πρῶτον τετραμέτρῳ ἐχρῶντο* (sc. poetae scenici), *διὰ τὸ σατυρικὴν καὶ ὀρχηστικωτέραν εἶναι τὴν ποίησιν. λέξεως δὲ γενομένης, αὐτὴ ἡ φύσις τὸ οἰκεῖον μέτρον εὗρε. μάλιστα γὰρ λεκτικὸν τῶν μέτρων τὸ ἰαμβεῖόν ἐστι*“ ....; Rhet. III, 1. §. 9 „... *ὥσπερ ἐκ τῶν τετραμέτρων εἰς τὸ ἰαμβεῖον μετέβησαν διὰ τὸ τῷ λόγῳ τοῦτο τῶν μέτρων ὁμοιότατον εἶναι τῶν ἄλλων*“ ... Cf. Rhetor. III, 8, 4. Cic. Orat. 57. §. 191. „Sunt enim, qui (numerum) iambicum putent (scil. maxime in orationem aptam cadere), quod sit orationi simillimus, qua de causa fieri, ut is potissimum propter similitudinem veritatis adhibeatur in fabulis.“ Hor. art. poet. 80 sqq. [5])

---

[1]) adde Atil. Fortun. p. 2692. Mar. Victor. I. p. 2512. II, 2524. III. p. 2572 (de Homeri Margite).

[2]) cf. Bergk, poetae lyr. Gr., cant. popp. 14.

[3]) cf. Meineke, exercitationes philol. in Athen., spec. II. p. 23 (progr. Berol. 1846), qui affert complura paroemia metrica ex Athen. VIII, 362, b, Plut. quaestt. Graec., p. 298, F, quaest. nat. p. 915, E. Steph. Byz. s. v. *Ἀλάβανδα*, Liban. oratt. p. 175, B.

[4]) cf. Hor. art. poet. v. 79, Ovid. Ib. v. 523, alios locos permultos.

[5]) cf. etiam Boeckh., de metris Pind. lib. II. c. 3 init.

Quae quum ita sint, dignum eum habeamus versum, de quo accuratissime agatur, maxime oportet. — Quatuor in universum senarii formas discernit Schol. ad Hephaest. VI, 14 (Gaisf.): „χαρακτῆρές εἰσι τέσσαρες, τραγικὸς, κωμικὸς, σατυρικὸς καὶ οὕτω πως ἰδίως λεγόμενος ἰαμβικός“ (i. e. iambographorum, quorum supra commemoravimus complures). Horum quidem esse dicit Schol. l. l., senarios componere puris plerumque iambis, pedibus certe bisyllabis („οἷον· πάτερ Λυκάμβα, ποῖον ἐφράσω τόδε;“), rarissime admittere solutionem syllabae longae. Quam quidem in comicorum trimetris creberrime inveniri, idque esse „ἴδιον τοῦ κωμικοῦ χαρακτῆρος“, peculiare vero tragicis docet Schol. „τὸ ἐπὶ πλεῖστον μὲν ἐκ σπονδείων καὶ ἰάμβων συγκεῖσθαι, σπανίως δὲ καὶ ἕνα τρισύλλαβον ἐπιδέχεσθαι“, medium in hac re tenentibus inter tragicos et comicos trimetris fabularum satyricarum [1]).

Quae numerorum discrimina quamvis obiter tantum sint expressa atque adumbrata, tamen veri aliquid ea continere negare non possumus. Tragoediae gravitati et majestati in universum non convenire syllabarum solutiones, utpote quae leviorem et tenuiorem efficiant numerum, apparet; contra comicos, quippe quibus propositum sit, ut Porsoni utar verbis (praef. ad Hec. XX) „non solum familiarem, sed etiam familiarissimum sermonem imitari“ [2]), has licentias frequentissime sibi indulsisse non mirum. Jam

---

1) Eodem fere modo de his senarii formis dicit Mar. Victor. 2527: „trimetri igitur iambici acatalecti genera sunt quatuor . . . ., quorum prius tragicum, dehinc comicum et iambicum, post satyricum habebitur. Et tragicum quidem, cujus in versu erunt dextri spondei, sinistri iambi, i. e. disparibus pares subditi. Comicum autem, quod anapaestum et tribrachyn praedictis admittet. Iambicum, quod ex omnibus iambis nullo admixto subsistit, quo iambographi maxime gaudent. Superest satyricum, quod inter tragicum et comicum stilum medium est.“ — Cf. Rossb. et Westph. III. p. 183.

2) „ut quae loquuntur sumpta de vita putes“, Terent. Maur. de metr. v. 2233.

dudum vero intellectum est ab hominibus doctis et constat inter rei metricae peritos, quo recentior quaeque sit tragoedia, eo majorem in universum occurrere nobis usum earum solutionum. Quam observationem quum primus, quantum equidem scio, Hermannus [1]) fecisset et promulgasset, recentiores deinde homines docti, inque primis Zirndorferus [2]) usque eo progressi sunt, ut ex majore minoreve solutionum numero singularum tempus fabularum definire posse sibi viderentur. Etsi vero concedendum est, in universum posteriori tempore, praecipue post Ol. 89, poetas factos esse negligentiores in metrorum tractatione jure dici, tamen ne indicium illud nimis sit fallax atque haud raro deceperit Zirndorferum, vereor quam maxime.

Sed haec hactenus, quum nimis a proposito aliena esse videantur. —

Ipse igitur de solutionibus, quot et quales admiserint in senariis Aeschylus, Sophocles, Euripides, quantum ex fabulis eorum superstitibus et fragmentis usque ad nostram memoriam servatis cognoscere nobis licet, quam accuratissime potero, in iis, quae sequuntur, agam. Atque eam quidem rationem in his exponendis sequendam arbitror, ut in prima parte de *tribrachis*, in altera de *dactylis*, in tertia denique de *anapaestis*, quos in tragicorum illorum dramatum senariis reperi, quae habeam dicenda deinceps proferam.

---

1) cf. Herm. elem. doctr. metr. p. 71; 83; 115; 119; 123; praef. ad Eur. Suppl. IV. al.

2) in dissertatione „de chronologia fabularum Euripidearum.“ Marburg. 1839.

Pars prima.

De tribrachis in senariis Aeschyli, Sophoclis, Euripidis.

Caput primum.

De tribrachis, qui in Aeschyli dialogorum trimetris iambicis leguntur.

§. 1.

Senarium, *πόδα ὀκτωκαιδεκάσημον ἐν γένει διπλασίονι*, ex tribus compositum esse dipodiis qui considerat, quarum in primae arsi summus, in alterius tenuior, in tertia levissimus ponitur ictus [1]), ut versus schema sit:

⏓ —‴ ⏑ — | ⏓ —″ ⏑ — | ⏓ —′ ⏑ —

facile cur in prima praecipue ac tertia sede longas solverint syllabas tragici, intelligit. Quum enim paullo altiore voce recitetur primus cujusque dipodiae pes, his locis optime, si quid video, tolerari possunt solutiones, numero iambico haudquaquam laeso aut perturbato. Tantum igitur abest, ut Engero assentiar, qui solutiones proprie non convenire dialogorum senariis dicit (in Mus. Rhen. XI. p. 444) [2]),

---

1) cf. Rossb. et Westph. III. p. 181.

2) Quid enim, quod tribrachyn purissimam quodam modo esse iambi formam, quippe qui ex tribus constat *χρόνοις πρώτοις,* quorum primus thesin, alter et tertius arsin forment (⏑⏑́⏑) jure contendere posse nobis videmur? — De dactylo et anapaesto conf. quae infra dicemus.

ut maxime eas habeam idoneas, ne dicam necessarias ad variandum, ubi oporteat, versum. Multum vero interest primum, qua in sede adhibita sit solutio, deinde, qua ratione sit facta atque conformata: multumque, propriumne sit nomen an appellativum, cujus syllabae efficiant solutionem; denique etiam totius loci sententia respicienda, quum quantopere ad depingendum animi motum, alia id genus quadrent atque inservire possint pedes soluti, facillime intelligatur.

Quae quum ita sese habeant, singulos deinceps tribrachos, quot et quales inveni apud Aeschylum, enumerare et accuratius de iis agere nunc in animo est.

§. 2.

De tribrachis in prima senarii sede admissis.

1. Quotquot invenimus apud Aeschylum solutiones primi pedis, ita sunt comparatae, ut integri unius vocabuli efficiantur syllabis, nusquam ex duobus tribusve componantur. — Voces trisyllabae, quae tribrachyn in principio senarii efficiunt, leguntur [1]) Prom. 666 („*ἄφετον*“...), Pers. 613 („*λιβάσιν*“...), Suppl. 234 („*ποδαπόν*“...), 325 („*πότερα*“...), 341 („*βαρέα*“...), Agam. 274 et 630 („*πότερα*“...), 626 („*πότερον*“...), 1584 („*πατέρα*“...); Choeph. 13, 89 et 120 („*πότερα*“), 186 („*σταγόνες*“...), 187 („*πλόκαμον*“...), 240 („*πατέρα*“...), 930 („*ἔκανες*“...); Eumen. 704 („*ἔρυμα*). His adde frgm. 59, 1 („*ποδαπός*“...); 321, 1 („*πότερα*“...). Praeterea quibus locis nomina propria leguntur: Suppl.

---

1) Secutus sum in afferendis versibus fabularum Aeschyli rationem Dindorfii („Aeschyli tragoediae“, recogn. G. Dind., edit. IV; Lips. 1860), Sophoclis rationem Bergkii („Sophoclis tragoediae“, ed. Th. Bergk. Lips. 1858), Euripidis rationem Nauckii („Euripidis tragoediae“ ex rec. Aug. Nauckii, edit. II. Lips. 1860); fragmentorum versus afferendos esse duxi secundum collectionem A. Nauckii („tragicorum Graecorum fragmenta“, rec. A. Nauck. Lips. 1856).

314 „Ἔπαφος“..., 320 „Δαναός“...; Agam. 881 „Στρόφιος ὁ Φωκεύς“...; Choeph. 679, quo loco eadem, quam in Agam. versu 881 legimus, nominum conjunctio; denique Eum. 24 „Βρόμιος“....

2. Multo est minor apud Aesch. numerus locorum, quibus in prima senarii sede vocabula, quae tribus plus habeant syllabis, efficiunt tribrachos. Sept. 272 „πεδιονόμοις“..., Eum. 806 „λιπαροθρόνοισιν“... frgm. 189, 2 „βορεάδας“... In nomine proprio Sept. 1007 „Ἐτεοκλέα“..., quod idem legitur v. 6 et v. 39. Recte etiam Prom. 116, nisi fallor, ut vitaretur anapaestus in altero senarii loco, restituit Stanl. ex cod. Arundeliano „θεόσυτος“, ubi Med. et reliqui codd. habent „θεόσσυτος“ (ut in v. 296, „θεόσυτόν τε νόσον“; contra alteram quoque formam in usu fuisse docet v. 643 „θεόσσυτον χειμῶνα“....). Neque intelligo, cur Dindorfius Prom. 816 scribendum censeat „ἐπανδίπλαζε“, rejecta scriptura codicum ad unum omnium „ἐπαναδίπλαζε“..., quum hujusmodi solutiones satis esse frequentes apud Aeschylum exemplis allatis comprobatum esse mihi videatur.

3. Nusquam vero, si recte observavi, Aeschylus in versus initio tribrachyn posuit ex duobus qui constet vocabulis, nusquam etiam quem tria vocabula conforment, quales Euripides, fortasse etiam Sophocles, plures admisit. Versum enim „ἐπὰν ἐπιβλέψῃ γοργὸν ὄμμα δεσπότου“, qui legitur in fragmento aliquo Aeschyli nomine citato a Clem. Alex. (Strom. V. p. 427) et Justino Martyre (I. p. 112, ubi pro ἐπάν scriptum est „ὅταν“) vix videtur operae pretium hoc loco commemorari, quum illos versus falsarii esse jam dudum constet. Cf. Nauck., tragg. Graec. frgm. p. 100. —

Omnino igitur statui posse putaverim, Aeschylum, si quando tribrachyn in prima senarii sede admiserit (30 legimus in 4308 trimetris iambicis), eam semper secutum esse legem ut una eum voce, vel trisyllaba, vel pluribus etiam ex syllabis quae constat, formaret, numquam ex duobus tribusve vocabulis scriberet compositum.

§. 3.

De tribrachis in altera senarii sede adhibitis.

1. Quum major inde fiat ac parum elegans versus incisio, cur Aeschylus rarissime tantum posuerit in altero trimetri loco tribrachyn integro vocabulo conformatum, facile perspicitur [1]). Legitur in Choeph. 1 „Ἑρμῆ χθόνιε“ et Agam. 1590 „αὐτοῦ ξένια δὲ“... quam utramque solutionem liquida vocabulorum „χθόνιε, ξένια“ pronuntiatione plurimum habere excusationis nemo non videt. Atque alter quidem locus, Agam. dico v. 1590, lectionem non satis certam praebere videtur hominumque doctorum tentatus est conjecturis. Blomfield. proposuit quum ex illis verbis sententiam aptam elicere non posset ... „αὐτὸς· ξένια δὲ“ ..., Herm. „ἀστοξένια δὲ“ ..., Schuetz. toto fere eliminato versu, qui sequitur, „ξένια δὲ τοῦδε δύσθεος πατὴρ πατρί“, Martin. et Hartung. „Ἄργους ξένια“..., Schneidewinus „γαίας ξένια“ ..., Weil. „διδοὺς ξένια“ ..., Karsten. „ἀντιξένια“ ... („quae muneris hospitalis vicem tenent“, qualem inesse quidem posse sensum in substantivo ita composito docent exempla a Mengio allata [2])). Qua ex larga conjecturarum copia videntur tantum, quas primo loco nominavi, in censum venire. Blomfieldianam recepere Scholefield., Enger., Keck., Hermannianam ceteris praeferendam putavere Wellauer., van Heusde, alii. Quum hujus loci non esse censeamus, accuratius causas exponere sententiae nostrae, sit satis dixisse, nos Blomfieldi conjecturam habere verisimillimam, utpote facillimam optimeque quae conveniat enunciati illius sensui; contra in Hermanni conjectura

---

1) Omnino videntur cavisse tragici, ne in vocabulis bisyllabis aut trisyllabis ictus trimetri in aliam caderet ac primam vocabuli syllabam, excepto pede primo. Vide Fix. ad Eur. El. 13 (in edit. fabull. Eurip. Paris. 1843). Enger. in Mus. Rhen. XI. p. 444 sqq.

2) H. Menge, „de praepositionum usu apud Aeschylum“, spec. I. pag. 8.

„*ἀστοξένια*“ scribentis (in annotatt. ad Agamemn. Humboldti), praeterquam quod quaenam hujus vocabuli sit significatio difficile videtur explicatu (cf. Karsten. ad h. v.), fortasse ea quoque de causa offendimus, quod, si revera illud scripsisset Aeschylus, hoc uno loco tribrachyn posuisset in altera senarii sede formatum tribus, quae vocabulum antecedens finiant, syllabis. Quamquam in tertia, quarta, quinta sede arsin hoc modo solutam inveniri, infra demonstrabimus. — Quod Wieselerus (Philol. IX, 717) conjecit in Prom. 795 pro „*κυκνόμορφοι*“ legendum esse „*κυκνοκόρυφοι*“, quamquam loci sententiae optime sane convenit, vereor tamen ne solutionis illius licentia nimia sit, quam qualem esse Aeschyleam putare possimus. Forsan igitur, si cui persuaserit Wieselerus omnino mutandam esse Medicei scripturam, altera ejus magis arridebit conjectura „*κυκνόκορσοι*“.

2. Quas reperiemus tertii et quarti pedis solutiones adhibitas a tragicis, eae in altera quoque senarii sede plus semel occurrunt, ita dico formatas, ut primum tribrachi tempus efficiatur fine vocabuli, alterum et tertium prioribus duabus syllabis ejus, quod sequitur. Sic Pers. 463 „*παίουσι, κρεοκοποῦσι*“...; Sept. 593 „*βαθεῖαν ἄλοκα*“...; Choeph. 238 „*ὦ τερπνὸν ὄνομα*“...; frgm. 245, 1 „*Σπερχειὲ ποταμέ.*“ In nominibus praeterea propriis Prom. 715 „*οἰκοῦσι Χάλυβες*“...; Pers. 418 „*καὶ Μᾶγος Ἄραβος*“..., 475 „*οὓς πρόσθε Μαραθών*“....

Invenitur haec solutio etiam Pers. 621 „*Δαρεῖον ἀνακαλεῖσθε*“..., quo loco Dindorfius pro auctoritate imperiosius, opinor, quam pro critici officio explicatius scribendum praecepit pro „*ἀνακαλεῖσθε*“, quod praebent codices ad unum omnes „*ἀγκαλεῖσθε*“.

Dein Sept. 268 „*ὀλολυγμὸν ἱερόν*“..., ubi G. Dindorfius formam bisyllabam „*ἱρόν*“ Aeschylo esse restituendam censuit. Quod quum omnibus fere, quibus legitur haec vox, fecerit locis, operae videtur pretium, paullo altius et a capite eam rem repetere. — Annotavit Dindorfius in praefat.

ad „poett. scen.“, p. XIII: „Mihi pluribus indiciis constat, tragicos non in ejusmodi solum locis, qualis ille Euripidis est (Troad. 1065), sed etiam in diverbiis ionica esse forma vocabuli usos, ubicumque pedes soluti hac ratione vitari possent, veluti in hoc ipso Sophoclis versu (Soph. O. C. 16), ubi casu evenit, ut *ἱρός* et in optimis codicibus sit servatum et diserte agnitum a Suida in h. v. Qua re *ἱρός* locis plurimis restitui, etiam in postremis fabulis Euripidis, quae licet minus elaboratae sint, quam antiquiores tragoediae, tamen solutos pedes dedita opera quaesitos habere nec demonstratum est a quoquam et ab ratione abhorret. Quid quod ne comici quidem poetae ab illius usu formae abstinuerunt, quam Aristophani duobus in locis (Equit. 301, Vesp. 308) metri adactus necessitate reddidit Hermannus in Elem. doctr. metr., quibus nunc accedant Ran. 440, 447. De vocabulis *ἱερεύς*, *ἱερία*, *ἱέραξ*, quae non improbabile est ad eandem legem esse revocanda, nunc nihil discerno.“ — Deinde idem vir doctus in Steph. Thes. s. v. *ἱερός* haec annotavit: „Formam ionicam, quam in versu Sophoclis (O. C. 16) ab H. Stephano ex Suida allato praebent libri optimi et aliis quoque in locis tragicorum codices interdum servarunt, ego tragoediarum diverbiis restitui, ubicumque pedes soluti hac ratione vitari possent. Ad haec accedunt exempla nonnulla ex carminibus melicis quum tragicorum, tum Aristophanis..... Eadem fortasse derivatorum ratio fuit, velut *ἱρεύς*, quod Euripidi restitui Iph. T. 360, et *ἱροφύλακες* (Iph. T. 1027). Facilius feram *ἱερῆς* trisyllabum in initio senarii Soph. O. T. 18, et *ἱερία* in numeris, quales habent versus tragicorum s. v. *ἱέρεια* memorati.“

Quae Dindorfii ratio quin posita sit in fundamentis minime firmis, equidem dubitationi non esse obnoxium putaverim. Etsi enim haud facile quis infitietur, ejusmodi ionismos, aeque ac formas vere doricas vel aeolicas, inveniri haud raro in tragicorum canticis [1]), ne in dialogorum ver-

---

[1]) cf. Ellendt., lex Soph. II. praef. p. IX sqq.

sibus, trimetris iambicis, utpote qui meram ostendere atticam dialectum videantur, tolerari nequeant, vereor quam maxime. Reperiuntur quidem passim formae in senariis, quas sermoni attico non proprias esse concedendum est [1]; videntur tamen eae omnino sumtae ac translatae vel ex dorica, vel ionica dialecto in atticam, non licentia tantum poetica admissae (cf. Markland. ad Eur. Suppl. 420, Valck. ad Eur. Phoen. 11 et Hipp. 1090). Alia res est in vocabulo illo ἱερός. Tantum enim abest, ut in prosariorum atticae dialecti scriptis Aristophanisque versibus [2] inveniatur forma bisyllaba ἱρός, ut tragicorum ipsorum libri eam ubique fere respuant. Apparet vero, quum grammatici altum agant de hac re silentium (quod mirum mehercle foret, si poetae tali saepissime usi essent licentia, quando quidem aliarum mentionem diserte facere solent, ut formarum a Sophocle haud raro usurpatarum „ἧμιν, ὗμιν" etc.), — apparet igitur, summam habere auctoritatem ad eam quaestionem discernendam optimorum codicum scripturam, nisi aliae accedant causae, quibus recedendum ab ea esse probabile fiat. Inter quas quum Dindorfius retulerit, quod, si formam adhibuisse tragicos bisyllabam sumeretur, multo minor fieret numerus pedum solutorum, num sufficiat haec ratiocinatio, ut statim ab ejus partibus nos stare debere existimemus, in dubitationem ausim vocare. Quid enim, quod sexcenta adsunt exempla solutionum eadem conformatarum ratione, qua orerentur illa vocabuli forma adhibita? Nisi vero sumis, poetas his omnibus locis vel linguae thesauri inscitia vitare non potuisse vel incuria quadam admisisse, quod auditorum laesurum esse aures haud ignorarent.

---

1) ut κυναγός, ποδαγός, πεδάρσιος (Aesch. Prom. 916, sed legitur etiam in Arist. Av. 1197), alia.

2) de versu enim Equit 301 cf. quae dixit G. Hermannus in Zimmerm. Diurn. 1837. p. 517; in Vesp. 308, quo loco utique scribendum „ἱρόν", idem vir doctus rectissime, opinor, judicavit, verba legi Pindari (cui formam illam inusitatam non fuisse constat; conf. Boeckh. ad Pind. Ol. III, 32).

Atque id quidem mediusfidius ne hac ipsa voce ἱερός fieret, eo minus erat metuendum, quod priores ejus syllabae tanta levitate atque celeritate pronuntiabantur sine dubio, ut vix duarum syllabarum integrarum vicem sustinere viderentur. — Jam igitur, quia plus minusve septuaginta senariorum locis in optimis codicibus constanter occurrit forma trisyllaba, bisyllaba invenitur passim in apographis tantum recentioribus [1]; dein, quia ubicumque ab aliis scriptoribus tragicorum versus laudantur, in libris eorum melioris notae, si recte observavi, prorsus ionica ejus vocabuli forma repudiatur [2]; denique quia saepius trisyllaba metro postulatur, altera omnino tolerari nequit (ut Soph. Phil. 943, Eur. Herc. fur. 922, Ion. 1317, Iph. T. 1452, Bacch. 494): jure inde videtur colligi, ubique eam esse servandam, nullo pacto substituendam alteram, quae nusquam cogente metro, — de senariis loquor, — ponatur oporteat. Uno tantum loco Sophocleo Laur. praebet a pr. m. formam bisyllabam, O. C. 16 „χῶρος δ᾽ ὅδ᾽ ἱρός“..., quam servavit etiam Suidas, s. v. ἱρός afferens hunc versum. Sed quum hoc quoque loco variet librorum scriptura (Bernhardy adnotat ad Suid. l. l. „ἱερός *B* et *E*; ἱρός pauci codices apud Sophoclem“), non multum esse auctoritatis tribuendum his locis quivis intelligit. — Accedit praeterea aliud argumentum haud exigui profecto momenti, a Fixio allatum, quo et ipso probari videtur, ionismum illum prorsus abhorruisse a tragicorum usu. „Mirum enim esse“ dicit (in praefat. ad Eurip. fabull. edit. Paris. p. LVII), quod in tam frequenti usu hujus vocabuli nusquam videas ἱερός cum terminatione longa explere tertium aut quintum pedem apud tragicos, rem haud vitaturos in quinto certe loco, si ἱεροῦ, ἱερῶν, al. spondeum, non anapaestum effecissent.“

---

1) ut Soph. El. 281, Eur. Ion. 1317, id quod sane non miraberis, si posteriore tempore ubique studuerint librarii restituere senarios duodecim syllabarum consideraveris.

2) ut Eur. Iph. T. 626 apud Diodor. XX, 14; Eur. frgm. 491, 1 apud Schol. ad Aristoph. Ran. 100.

Quae omnia considerans, Dindorfio non esse assentiendum, furca expellere studenti e senariis formam trisyllabam, persuasum ego quidem habeo [1]).

Jam vero ut ad id redeamus, unde digressi sumus, Aesch. Sept. 268, ut in ceteris locis retinendam esse censeo formam *ἱερόν*. Ad illos pertinet Suppl. quoque v. 248 „*ἢ τηρὸν ἱεροῦ*“ ..., quamquam hujus versus lectio adeo est dubia atque incerta, ut num omnino „*ἱεροῦ*“ retinendum sit, maxime ambigam. Fortasse suo jure Hermannus lectionem, quam Med. in margine habet „*Ἑρμοῦ*“ unice esse veram contendit (Schuetzius „*ἱερόραβδον*“; aliorum conjecturas affert Wellauer. ad h. l.).

3. Rarius inveniuntur in altera senarii sede tribrachi, quorum primum tempus efficitur voce monosyllaba. Pers. 405 „*θήκας τε προγόνων*“..., frgm. 309, 1 „*χλιδῶν τε πλόκαμος*“..., et, si Erfurdtii conjecturam probaverimus (quam protulit in annot. ad Soph. El. 52) Choeph. 6 „*φέρω δὲ πλόκαμον*“. Deinde, quibus locis leguntur nomina propria, Pers. 778 „*ἕκτος δὲ Μάραφις*“... [2]) et frgm. 193, 1 „*ἥξεις δὲ Αἰγύων*“... Quos omnes si spectamus locos, quin intelligamus fieri nequit, vocem monosyllabam, quae tribrachi primum efficiat tempus, semper esse particulam, quae arctissime cohaereat cum vocabulo antecedente, atque quodam modo unum cum eo sit. Itaque nescio an hac jam observatione adducamur, ut dubitemus, num Karsten. in Agam. 539 jure scripserit „*χαίρω· τὸ τεθνάναι*“..., pro codicum lectione „*χαίρω· τεθνᾶναι*“... Hermannus negans, mediam hujus vocis syllabam posse produci, proposuit „*χαίρω· θε-*

---

[1]) Idem censuere Nauckius in annot. crit. ad (Schneidewini edit. Soph.) O. C. 16, nuper in Jahnii annal. philol. LXXXV, 184 sq.; et G. Hermannus in Zimmerm. Diurn. 1837. p. 517 (annot. ad Aristoph. Equit. 300).

[2]) quem versum quo jure uncis incluserit Dindorfius, Schuetzium secutus et Blomfieldium, non video. Magis placet Bentleyi sententia, excidisse post v. 777 quinque conjuratorum nomina, quam Hermannus quoque probavit.

οἴσι τεθνάναι“..., quam conjecturam recte videtur refutasse Schneidewinus ad h. l. Nisi fallor, aut scribendum erit cum Engero „*χαίρω γε· τεθνάναι*“..., quod probavere Schneidew. et Keck.; aut cum Heimsoethio („die Wiederherstellung der Dramen des Aeschylus“ p. 91) „*χαίρω τε τεθνάναι τ' οὐκ ἔτ' ἀντερῶ θεοῖς*“, cui assentitur Meinekius (in Philol. XIX, 2). Quae utraque conjectura favet observationi supra indicatae. — Neque contra eam facere videtur frgm. 394, 1, ubi Meinekius (vind. Strab. p. 127) legendum proposuit „*Βοῦραν καθ' ἱεράν*“... (in libris *ἀμέτρως*: „*Βουράν θ' ἱεράν*“). Quis enim, quid hoc in versu aperte corrupto scripserit Aeschylus, si revera eum scripsit, pro certo dicere ausit?

4. Unum exstat apud Aeschylum exemplum, quod tribrachi tempus alterum et tertium duobus vocabulis monosyllabis expressa praebeat, Pers. dico v. 814 „*πάσχουσι, τὰ δὲ μέλλουσι*“... Sed quum haec vocabula arctissimo inter sese cohaereant nexu, in eo versu nullo modo esse offendendum apparet.

5. Neque aliter res se habet in frgm. 340, 9, a Platone (Rep. II, 383, B.) servato „*τὸν παῖδα τὸν ἐμόν*“..., quae verba et ipsa quasi unum tantum efficiant.

§. 4.

De tribrachis in tertia senarii sede admissis.

Eadem, quam ad §. 3, 1. indicavi, causa quum valeat in tertia trimetri sede, in ea nusquam Aeschylus tribrachyn vocabulo trisyllabo conformatum adhibuit. Namque quod Sept. 55 Wellauer. in adnot. crit. proposuit „*κληρουμένους δ' ἔλιπον ὅπως*“...., quum codices aliquot *ἀμέτρως* praebeant „*ἔλιπον ὡς*“..., Medicei refellitur auctoritate, in quo scriptum est „*ἔλειπον ὡς*“...

Contra quam in altera sede non admissam esse vidimus tribrachi formam, ut efficiatur ultimis longioris vocabuli syllabis, in tertia eam satis firmatam habemus exemplo om-

nino certo atque indubitato, Eum. 485 „ὑμεῖς δὲ μαρτύριά τε καί“... Haudquaquam vero recte Hermannum conjecisse Suppl. 875 „ἴυζε καὶ πικρότερον οἶζυος νόμον“, uberius demonstravit Engerus (in Mus. Rhen. XI, 447), quocum equidem prorsus esse consentiendum putaverim.

2. Plurima vero praesto sunt exempla tribrachorum, quorum primum tempus syllaba vocis sit ultima, secundum et tertium efficiat initium vocabuli, quod sequitur. Quod qua re factum sit, qui πενθημιμερῆ meminerit in hunc cadere locum, facile intelliget. Prom. 2 „Σκύθην ἐς οἶμον, ἄβροτον εἰς ἐρημίαν“; 720 „...ἔνθα ποταμός“..., 793 „Γοργόνεια πεδία“..., et eodem modo Sept. 559, 610, 798, 804; Pers. 284, 500, 517, 524, 605, 805; Suppl. 318, 353; Agam. 297, 518; Choeph. 92; Eum. 455, 641; frgm. 190, 5 et 301, 1. Praeterea in nominibus propriis eadem occurrit solutio Prom. 840 „...ἐπίστασ᾽ Ἰόνιος“...[1]), 851 „κελαινὸν Ἔπαφον“... et Pers. 321 „ἐσθλὸς Ἀριόμαρδος“... — Sept. 277 et 600 hic afferri supervacaneum videtur, utpote quos versus spurios esse jam dudum intellectum sit. Cf. Dind. et Herm. ad h. v.

3. Quam in altero pede solvendo regulam observatam ab Aeschylo invenisse nobis videmur, si primum solutionis tempus expressum sit voce monosyllaba, ut arctissime ea semper cohaereat atque conjungenda sit cum vocabulo, quod antecedit, eandem valere etiam in tertiae sedis tribrachis putamus. Ita leguntur enclitica: Prom. 351 „τὸν γηγενῆ τε Κιλικίων“..., 746 „δυσχείμερόν γε πέλαγος“..., Suppl. 247 „ἐγὼ δὲ πρός σε πότερον“...; particula δέ: Prom. 993 „λευκοπτέρῳ δὲ νιφάδι“..., Sept. 510 „ξυνοίσετον δὲ πολεμίους“..., Agam. 655 „...αἱ δὲ κεροτυπούμεναι“...[2]), Pers.

---

[1]) corripi enim hoc loco prius ι, ut aliis, docuerunt Elmsl. in „Edinburgh review“ 1811, no. XXXVII. p. 70, et Spitzner., prosod. Gr. §. 64, 1, e, ann. 2.

[2]) libri omnes „κερωτυπούμεναι“; unice veram restituit scripturam Porson. in praef. ad Eur. Hec. p. VIII.

365 „...κνέφας δὲ τέμενος“...; denique particula γάρ: Sept. 458 „τρίτῳ γὰρ Ἐτεόκλῳ“..., et si Brunckium sequimur, etiam Sept. 55 „κληρουμένους γὰρ ἔλιπον“..., quamquam quin h. l. ex Mediceo „δ᾽ ἔλειπον“ sit restituendum, non dubium videtur. Cf. §. 4, 1.

4. Praeterea haud ita infrequens est ea solutionis forma, ut tribrachi primum tempus contineatur fine vocabuli, alterum et tertium voce, quae sequitur, bisyllaba. Ita Sept. 593 „...ἄλοκα διὰ φρενός“..., Pers. 296 „τέθνηκε, τίνα δὲ καί“..., 403 „ἐλευθεροῦτε πατρίδ᾽, ἐλευθεροῦτε δέ“, Suppl. 303 „ὁρῶντα φύλακ᾽ ἐπέστησεν“..., Choeph. 89 „λέγουσα παρὰ φίλης“..., 130 „καλοῦσα· πάτερ, ἐποίκτειρον“..., 885 „χρῆμα; τίνα βοήν“..., Eum. 602 „ἀνδροκτονοῦσα πατέρ᾽ ἐμόν“...; denique Agam. 1605 huc pertinet „τρίτον γὰρ ὄντα μ᾽ ἐπὶ δέκ᾽ ἀθλίῳ πατρί“, quem versum ita, ut in codicibus legitur, non bene ferri posse demonstravit Emperius (in Zimmerm. Diurn. 1835. p. 635). Sed sive scribendum putamus cum Schneidero „τρίτον γὰρ ὄντα μ᾽ ἔτι δυσαθλίῳ πατρί“, sive cum Engero „τρίτον γὰρ ὄντα μ᾽, ἔτι δ᾽ ἐν ἀθλίῳ πατρί“, sive cum Ahrensio „..μ᾽ ἐπὶ δυ᾽ ἀθλίοιν“..., remanet semper solutionis eadem forma, nisi forte Hermanni conjecturam „...ὄντα μ᾽ ἐπίδεχ᾽ ἀθλίῳ πατρί“, vel Weilii „ὄντα μ᾽ ἐπίτεκ᾽ ἀθλίῳ πατρί“... parum esse probabiles negamus.

5. Duo praeterea exstant apud Aeschylum versus, in quibus alterum tribrachi tempus vocabulo monosyllabo, primum ultima antecedentis syllaba, tertium initio sequentis expressa sunt: Agam. 600 „ἄριστα τὸν ἐμόν“..., et Choeph. 569 „πύλαισι τὸν ἱκέτην“..., quo utroque loco articulo interposito vocabula illa arctissima conjungi neminem fugiet.

Quarum solutionum numerum si respicimus, quod in tertia senarii sede, quippe in qua caesura πενθημιμερής adhibeatur frequentissime, quadraginta quinque soluti inveniuntur pedes, mirum non habemus. Fere omnes enim, quotquot attulimus, solutiones ita esse conformatas intelleximus, ut caesura illa inde oriatur. Nec vero pauciores

enumerandae sunt in quarta sede, quae et ipsa caesuram, ἑφθημιμερῆ quam dicimus, adamet.

§. 5.

De tribrachis in quarta senarii sede admissis.

1. Uno tantum loco tribrachyn integro vocabulo in hac trimetri sede conformatum reperimus, Pers. 332 „καὶ λιγέα κωκύματα"; quo in versu non esse offendendum, quia καὶ λιγέα tam arcte cohaereant, ut unum quasi efficiant vocabulum, recte mihi videtur monuisse Engerus (in Mus. Rhen. XI. p. 448). Accedere etiam putaverim, quod vocales istae -εα tam liquide pronuntiabantur, ut prorsus fere coalescerent in unam syllabam.

In voce, quae mensuram habet paeonis primi, saepius in quarto senarii loco usu venit apud Aeschylum tribrachys; cf. Pers. 491 „ἀμφότερα γὰρ ἦν τάδε", Sept. 1022 „τυμβοχόα χειρώματα", Eum. 107 „νηφάλια μειλίγματα", frgm. 173, 4 „κοσσάβιός ἐστι σκοπός". — Contra, quod legitur in libris Prom. 213 „χρείῃ, δόλῳ, δὲ τοὺς ὑπερέχοντας κρατεῖν" non magis videtur ferri posse, quam quod Hermannum parum recte vidimus conjecisse Suppl. 875 (cf. §. 4, 1). Felicissime igitur illo loco emendavit Porsonus „ὑπερσχόντας". Cf. Valcken. ad Eur. Hipp. 1365 [1]). — Neque minus, quam illa librorum lectio, videtur perversa esse propter metrum conjectura Nauckii in Choeph. 490 scribendum proponentis (in progr. gymnas. Joachimsth. 1855) „ὦ Περσέφασσα, δὸς δ' ἐτεόμορφον κράτος" pro lectione vulgari „δὸς δ' ἐπ' εὔμορφον κράτος". Cf. Enger l. l. p. 448.

2. Longe vero plurima, — id quod supra jam indicavimus, — quarti pedis soluti exempla ita sunt comparata, ut thesis concludat verbum, arsin solutam efficiat initium ejus, quod sequitur. Sic Prom. 76 „... θεῖνε διατό-

[1]) Wundero (adverss. in Soph. Phil. p. 37) restituendum visum est „ὑπειρόχους".

ρους"..., 809 „ἔνθα ποταμός"..., et eodem modo Sept. 191, 216, 270, 495, 704; Pers. 260, 427, 453, 467, 781; Suppl. 333, 768; Agam. 19, 1195, 1276, 1445; Choeph. 207, 530, 889; Eum. 293, 450, 726, 771, 869; frgm. 297, 4. Praeterea in nominibus propriis Sept. 448 („Πολυφόντου"), 577, 641, 653 et 1013 („Πολυνείκους"), Pers. 284 et 447 („Σαλαμῖνος"), Agam. 523 et 1404 („Ἀγαμέμνων"), 674 („Μενέλεων"), Choeph. 503 („Πελοπιδῶν"), Eum. 706 („Πέλοπος"). Si Dindorfium sequimur, huc pertinet etiam Sept. 527 („Ἀταλάντης"), de quo infra accuratius dicere in animo est. — Dein quum Hartungius causas haud ita graves attulerit ex mea sententia, cur ejiciendum eum versum statuat, refero ad hunc ordinem etiam Suppl. 346 „Ζηνὸς ἱκεσίου"... — Prom. 680 „ἀπροσδόκητος δ' αὐτὸν αἰφνίδιος μόρος" propter anapaestum in quinta senarii sede ita, ut in codicibus legitur, ferri nequit. Porsonus igitur haec verba mutato ordine legenda ratus proposuit „ἀπροσδόκητος αἰφνίδιος αὐτὸν μόρος", ut solutio oreretur, quales apud Aeschylum plus semel inveniri supra demonstravimus. Elmsleyus vero pro „αἰφνίδιος" formam ἀφνίδιος h. l. esse restituendum censuit, quam haud quidem frequentem, non tamen prorsus esse insolitam conclusit ex Hesychii glossa „ἀφνίδια· αἰφνιδίως, ἄφνω". Num vero Atticorum haec forma fuerit, jure videtur posse dubitari; atque ipse nescio an assentiar Hermanno, qui illam Hesychii glossam ad hunc ipsum esse referendam ratus Aeschyli versum, ita emendavit „ἀπροσδόκητος δ' αὐτὸν αἰφνίδια μόρος". — Denique huc pertinet frgm. 307, 1 „εἶτ' οὖν σοφιστὴς κάρτα παραπαίων χέλυν", ut conj. Butlerus pro „καλὰ παραπαίων", quod metri causa ferri nequit. Neque vero hujus loci lectio certa atque indubitata.

3. Haud aliter, atque haec tribrachorum exempla, esse comparatum Pers. 320 „...Ἀμφιστρεὺς τε πολύπονον" nemo non videt, quum particula τε cum voce, quae antecedit, arctissime cohaereat. — Num vero suo jure Hartungius Eum. 92 conjecerit esse scribendum „ἱκέτην. σέβει

τοι Ζεὺς τόδ' ἱκομένων σέβας" pro „τόδ' ἐκ νόμων σέβας" (Herm. „ἐκνόμως"), jam ea de causa dubium videtur, quia observationi non congruit, quam fecimus (cf. §. 3, 3. §. 4, 3.).

4. Tribrachi tempus alterum et tertium vocabulo bisyllabo expressa reperimus Prom. 273 „μάθητε διὰ τέλους", Sept. 534 „γνῶθι τίνα πέμπειν" [1]), Agam. 1265 „μαντεῖα περὶ δέρῃ"..., frgm. 174, 3 „ἥμαρτε· περὶ δ' ἐμῷ"... et 212, 1 „φᾶρος ἴσον ἐν οὐρανῷ"...

5. Superest ea solutionis forma, in qua tribrachi tempus alterum et tertium duobus efficiantur vocabulis monosyllabis: quae arctissime inter se cohaereant necesse videtur (cf. §. 3, 4.). Ita Sept. 547 „Παρθενοπαῖος Ἀρκάς· ὁ δὲ τοιόσδ' ἀνήρ" [2]), quem versum, nescio qua ductus causa, eliminavit G. Dindorfius.

6. De Prom. 354 cf. infra part. III. c. 2. §. 29.

§. 6.

De tribrachis in quinta senarii sede admissis.

Praeter ea, quae Porsonus et Hermannus in prolegg. ad Eurip. Hecubam disputaverunt de hac solutione, conferenda

---

[1]) ex quo quidem versu et eo, qui antecedit, Dindorf. novum composuit, qui indiget ea solutione, — violentius, opinor, quam rectius.

[2]) est hic locus etiam ea de re notandus, quod nomen illud Παρθενοπαῖος collocavit Aesch. producta syllaba secunda, quemadmodum v. 488 „Ἱππομέδοντος", Soph. frgm. 795, 1 „Ἀλφεσίβοιαν", Eur. Suppl. 889 „Παρθενοπαῖος" (deleto vocabulo „παῖς" a Dindorfio, quod libri habent); fortasse sumendum, eadem licentia esse usum interdum Aeschylum in nominibus appellativis ineunte versu, ut Choeph. 657 („εἶεν· ἀκούω") et 1049 („φαιοχίτωνες"). — Cf. Prisc. de metr. p. 1328, 22 (ed. Putsch.). Herm. elem. doctr. m. lib. I. cp. 10, 4 et 21; Elmsl. in „Edinb. review" 1811. no. XXXVII. p. 68 et 69; Herm. ad Aesch. Sept. 488; Dind. ad Soph. frgm. 785. Cf. etiam E. de Leutsch. in Welckeri et Naekii Mus. Rhen. II, 353. — Conf. part. III. c. 1. §. 27 et 29.

sunt, quae Seidlerus in excursu ad librum de versibus dochmiacis (p. 380 sqq.) exposuit accuratissime. Qui quum de dactylorum et tribrachorum apud poetas scenicos usu in quinta senarii sede agat, maxime dicit et tragicos et comicos eas solutiones tolerabiles habuisse offensionisque expertes judicasse, si cum ipsa quinti pedis arsi soluta novum inciperet vocabulum. Quod quidem, nisi egregie fallor, optime a Seidlero animadversum luculentissime Aeschyli illustratur tragoediis, quippe in quibus, si recte observavi, tria tantum inveniantur exempla laesae illius regulae. Atque ea quidem ita sunt comparata, ut aut pronunciatione aliquid habere videantur excusationis, aut num prorsus recte sint tradita in codicibus, dubitari possit.

1. Primo igitur loco enumerentur tribrachi ita conformati, ut novum cum arsi soluta incipiat vocabalum, thesis ultima ejus, quod antecedit, efficiatur syllaba. Sic Prom. 52 „... τῷδε δεσμὰ περιβαλεῖν", Eum. 40 „... μὲν ἄνδρα θεομυσῆ". Nec tamen recte conjecisse Hermannum Sept. 233 „διαὶ θεῶν πόλιν νεμοίμεθ' ἀδάματον" vel „πόλιν τε νεμόμεθ' ἀδάματον", ut mihi persuadeam adduci possum, non quod in tribracho illo haeream, vel in forma praepositionis διαί, quae, etsi rarior sane est, invenitur tamen apud scriptores Atticos, nec non apud Aeschylum [1]), sed quia trimetrum ab hoc loco prorsus esse alienum, omnes chori versus inde a 219—241 in dochmiaco progredi numero censeo. Cf. Seidler. de verss. dochm. p. 94.

2. Etiam hac in sede bis videtur licentiam sibi sumsisse Aeschylus, ut primum tribrachi tempus exprimeret voce monosyllaba. Quam arctissime cum verbo antecedente et eo, quod sequitur, cohaerere debere, facile intelligitur. Prom. 448 „... ἣν ὁ φιλόχορος" ... et 492 „... γαῖαν ἔς τε Μακεδόνων"..., quo loco absque jure Dindorfium aliosque editores mutasse arbitror „ἔς τε" in „ἠδέ", quod jam Ro-

[1]) cf. Cramer, anecdd. Oxon. I. p. 119, 10. Menge, de praeposs. usu apud Aesch. p. 78. H. Sauppe, in Philol. XX, 172.

bortelli habet. Cf. de ea praepositionis collocatione Lob. ad Soph. Ai. 397; Menge l. l. p. 62.

3. Major est lis, num ferri possit versus, qui legitur Pers. 501 „στρατὸς, περᾷ κρυσταλλοπῆγα διὰ πόρον“, quem quum Porsonus minime esse rhythmicum sibi persuasisset, ita correxit (praefat. ad Eur. Hec. p. XXX): „κρυσταλλοπῆγα διὰ πόρον στρατὶς περᾷ“. Verum ut solum ejus judicium, nullis causis firmatum, nos permoveat, ut necessariam habeamus illam conjecturam, vereor quam maxime. Jure videtur defendisse Hermannus scripturam vulgatam in elemm. doctr. metr. p. 113. — Neque plus offensionis habet Suppl. 259 „...τῶνδε τἀπὶ τάδε κρατῶ“, quem versum qua re apertis corruptelis inquinatum dicere potuerit Seidlerus (l. l. p. 384), vix quisquam probabit. Rectissime Herm. ad h. l.: „pro uno vocabulo est „ἐπὶ τάδε“ („cis“), ut, cui oppositum est „ἐπέκεινα“.

4. Restant [1]) igitur tres illi loci, quibus, quam in ceteris quinti pedis solutionibus observatam esse vidimus, laesa est regula. Sunt Eum. 480 „ἀμφότερα μένειν“, 797 „μαρτύρια παρῆν“, et Suppl. 388 „ἐγγύτατα γένους“, quem quidem versum nescio an jure tentaverit Seidlerus (l. l. p. 389). Illa vero, quam ejus versus prorsus certam dicit allatam esse correctionem ab Hermanno scribi jubente (in praef. ad Eur. Hec. (1800) p. XXXIX) „νόμῳ πόλεως ἐγγύτατα φάσκοντες γένους“, vereor ne omnino rejicienda sit neve ulla ratione defendi possit. Cf. Enger. in Mus. Rhen. XI. p. 447, et quae exponemus in part. II. c. 1. §. 20.

---

[1]) namque de frgm. 452, 4 „ἄπλατος ὁρμῇ, ποτὲ δ' ὕδωρ, ποτὲ δὲ γνόφος“, quo loco in quinta sede tribrachys formatus est vocabulo bisyllabo et monosyllabo, accuratius agere supervacaneum videtur, utpote corrupto et abjudicando ab arte Aeschylea. Cf. §. 2, 3.

Caput alterum.

De tribrachis in Sophoclis senariis.

§. 7.

De tribrachis in prima senarii sede admissis.

In universum tribrachorum, quos Aeschylum vidimus haud ita multos adhibuisse in versuum initiis, multo largior est numerus apud Sophoclem. Deinde quam observasse nobis videmur in Aeschyli versibus regulam, ut tribrachys in primo senarii loco ubique formetur integro vocabulo, nusquam duobus tribusve, eam Sophocles plus semel, nonnullis certe in fabulis, neglexit. —

1. Trisyllaba efficiunt vocabula tribrachyn: Ai. 265 et 460 „*πότερα*“ . . ., 863 „*πεδία*“; El. 279 et 1496 „*πατέρα*“, 694 „*ὄνομα*“, 707 „*ἔνατος*“, 1327 „*πότερα*“, 1462 „*στόμια*“; O. R. 112 et 960 „*πότερα*“, 377 „*ἱκανός*“, 388 „*δόλιον*“, 750 „*πότερον*“, 920 „*ἱκέτις*“, 934 „*ἀγαθά*“, 1372 „*πατέρα*“, 1406 „*πατέρας*“; O. C. 265 et 306 „*ὄνομα*“, 333, 588 et 800 „*πότερα*“, 850 „*πατρίδα*“, 961 „*πότερον*“; Ant. 74 „*ὅσια*“, 284 „*πότερον*“, 455 „*νόμιμα*“, 760 „*ἄγετε*“, 887 „*ἄφετε*“ (de quo v. cfr. infra §. 31, 2.), 1176 „*πότερα*“, 1197 „*πεδίον*“; Trach. 342 „*πότερον*“, 740 „*πατέρα*“, 1197 „*ἄγριον*“; Phil. 608 „*δόλιος*“, 636 „*πέλαγος*“, 662 „*ὅσια*“, 789 „*ἔχετε*“, 932 et 981 „*ἀπόδος*“, 943 „*ἱερά*“, 1018 „*ἄφιλον*“, 1054 „*ἄφετε*“, 1274 „*πότερα*“; praeterea frgm. 640, 1 „*βλέφαρα*“, 646, 1 „*κύναρος*“, 649, 1 „*ὅρια*“ et 759, 4 „*τυπάδι*“. — Dein in nominibus propriis O. C. 1318 „*Ταλαός*“, Phil. 606 et 1338 „*Ἕλενος*“; porro O. R. 827 „*Πόλυβον*“, qui versus a Wundero ejectus ut propter sententiarum nexum retineatur omnino oportere demonstrat Schneidewinus ad h. l. Neque El. 538 „*πατέρα τὸν ἀμόν*“ . . . cur proscribendum habeat satis mihi videtur exponere Wunderus. —

2. In voce quadrisyllaba soluta est primi iambi arsis O. R. 1401 „ἐπίετε . . .“, Phil. 309 „προσέδοσαν“, frgm. 189, 1 „ὀλόμενε“, et si M. Schmidtii (in Didym. pg. 87) probemus conjecturam, etiam frgm. 122, 1 „ἱερόθυτον . . .“ (Scaliger.: „αἱμόρρυτον“). — Praeterea Ant. 1083 „ἀνί-σιον . . .“, quem quidem versum eliminavit Wunderus, perverso, opinor, judicio usus. — Eadem solutionis forma reperitur in nomine proprio „Ἐτεοκλέα“ Ant. 23 et 194.

3. Quinque apud Sophoclem exstant senarii, in quorum initio tribrachys compositus est ex monosyllabo et bisyllabo. Quae tamen vocabula (τί ποτε) tam arcte esse jungenda quivis videt, ut unius fere instar posita sint. Sunt loci Ai. 341, 1356, O. R. 1073, Phil. 740 et 914.

4. Rariora sunt exempla tribrachorum, qui constent ex voce monosyllaba syllabisque prioribus ejus, quae sequitur. Legitur ea solutio Ai. 467 „πρὸς ἔρυμα Τρώων . . .“, Phil. 815 „τί παραφρονεῖς αὖ . . .“ [1]); denique Trach. 549, quem Nauckius, alii inter locos desperatos esse referendum censent, Meinekius (anall. Soph. pg. 294) pro codicum lectione, quam ceteroquin defendere studet, „ὀφθαλμὸς ἄνθος, τῶν δ' ὑπεκτρέπει πόδα“ forsan scripsisse poetam dicit „ὁ θάλαμος . . .“, cui conjecturae solutio quidem illa, etsi satis infrequens est, haud magnopere obstare videtur.

5. Uno tantum loco legitur in prima senarii sede tribrachys ex duobus vocabulis monosyllabis initioque verbi sequentis compositus, Phil. 601 „τίς ὁ πόθος . . .“ Quo quidem in versu tria illa vocabula arctissimo nexu inter sese cohaerere nemo non videt. Verum enim vero hanc solutionis formam licentiam quandam esse, qualem neque Aeschylus, neque ipse Sophocles in ceteris admisit fabulis, quis neget? Philoctetam vero majore, si metrum respicimus, incuria scriptam esse, quam ceteras fabulas, multo etiam pluribus probabitur indiciis.

6. Num vero Sophoclem posuisse in primo trimetri

1) Meinekius (anall. Soph. pg. 319) pro »τί« scribi maluit »ἦ . . .«

loco tribrachyn ex tribus constantem vocabulis monosyllabis sumi debeat cum Badhamo, qui legendum esse conjiciat (in annot. crit. ad Eurip. Iph. T. 517) Phil. 421 „τί γὰρ ὁ παλαιός . . .“, jure dubitari posse putaverim (ἀμέτρως Laur. „τί δ᾽ ὁ παλαιός“, Nauck. „τί δ᾽ αὖ . . .“, Mein. (l. l. pg. 314) „τί; δ᾽ οὐ παλαιός . . .“. —

§. 8.

De tribrachis in altera senarii sede adhibitis.

Majore etiam, quam cui in primae pedibus sedis solvendis indulsit Sophocles, licentia usus multo plura, si conferimus ejus versus cum Aeschyleis, novasse eum intelligimus in altera arsi solvenda.

1. Rarissime quidem, ut Aeschylus, atque in sola, nisi fallimur, Phil. fabula admisit Sophocles alterius pedis solutionem vocabulo trisyllabo conformatam. Sic Phil. 1235 „πρὸς θεῶν, πότερα δή...“ et 1314 „ἥσθην πατέρα τε...“, qui locus uterque vocum illarum πότερα, πατέρα pronuntiatione aliquid adipisci videtur excusationis. — In frgm. 304, 2 „ὑπὸ τοῦ δέατος“ utrum alter pes sit tribrachys an anapaestus [1]), pro certo dici nequit, quum verba, quae scripta erant post „δέατος“, non sint servata ab Herodiano, qui cetera tradidit (περὶ μον. λεξ. pg. 30, 28).

2. Alterius arsis in voce quadrisyllaba solutae, — cujusmodi solutionis nullum exstat apud Aeschylum exemplum, — plura praesto sunt ex Sophoclis versibus desumta. Ant. 420 „ὕλης πεδιάδος“...; Trach. 878 „τάλαιν᾽ ὀλεθρία“, 917 „ὅπως δ᾽ ἐτέλεσεν“; Phil. 1226 „ἣν σοὶ πιθόμενος“, 1323 „στυγεῖς πολέμιον“. In nomine proprio O. C. 1295 „ἀνθ᾽ ὧν μ᾽ Ἐτεοκλῆς„ . . . . Quod legitur frgm. 144, 1 „ὡς ναοφύλακες“ . ., majore etiam licentia scriptum, in eo

---

1) est enim versus fabulae satyricae, in qua anapaestum in altera senarii sede, ut in ceteris, ferri posse constat. Cfr. §. 33. 3.

non offendendum videtur, quum versus sit dramatis satyrici. Injuria vero Hartungium conjecisse existimo El. 345 pro „ἑλοῦ γε“ scribendum esse „ὁμολόγει“, quum neque necessaria sit tam audax litterarum mutatio et violenta, quod vulgata satis bonum fundit sensum, et numeri hujus fabulae severissimi respuere videantur eam solutionis formam.

3. Saepissime omnibusque omnino in fabulis Sophocleis obviam fit ea alterius pedis solutio, ut primum tribrachi tempus efficiatur ultima vocabuli syllaba, alterum et tertium initio sequentis. Sic Ai. 30 „πηδῶντα πεδία“ . . ., 727 „ξύναιμον ἀποκαλοῦντες“, 854 „ὦ θάνατε, θάνατε“, atque eodem modo El. 30, 310, 368, 1195; O. R. 26, 1379, 1428; O. C. 284, 493, 508, 634, 1357, 1414; Ant. 419, 917; Trach. 607; Phil. 797, 924, 1006, 1028, 1232, 1420; Frgm. 87, 2; 104, 8; 125, 2; 327, 6. — Praeterea in nominibus propriis Ai. 1302 „βασίλεια Λαομέδοντος“ ... atque El. 792 „ἄκουε, Νέμεσι“. — El. 743 proposuit Toepfer (progr. Luckav. 1831 pg. 24) „ἔπειτα τανύων“ . . ., quo loco vulgo legitur „ἔπειτα λύων“ . . .; El. 818 Bergkius (praef. ad Soph. edit. Tauchn. pg. XXXXVI) pro „ξύνοικος ἔσομ᾽ ἀλλά“ . . . scribendum esse censuit „ξύνοικος ἔσομαι· μάλλά“ . . ., quibus in conjecturis solutionem illam non offensioni esse apparet ex locis permultis modo allatis.

4. Quibus locis thesin efficit vox monosyllaba, ea plerumque quidem tam arcte cum vocabulo antecedente cohaeret, ut unius fere instar posita esse vel pronuntiari videantur. Sic Ai. 862 „κρῆναί τε ποταμοί“ . . ., 1008 „ἦ πού με Τελαμών, σὸς πατήρ“ . . . [1]); O. R. 775 „μήτηρ δὲ Μερόπη“ . . .; O. C. 16 „χῶρος δ᾽ ὅδ᾽ ἱερός“, 54 „χῶρος μὲν ἱερός“, 287 „ἥκω γὰρ ἱερός“, 469 „πρῶτον μὲν ἱεράς“, 1545 „αὐτὸν τὸν ἱερόν“; Phil. 422 „Νέστωρ ὁ Πύλιος“, 1014 „ψυχή νιν ἀφυῆ“; Frgm. 592, 1 „αὕτη δὲ μάχιμος“, 631, 1

---

1) h. l. pronomen μέ, quod deest in Laur., additum ex conjectura Toupii satis probabili. Brunck. praeferendum censuit »ἦ που Τελαμὼν, ὁ σὸς πατὴρ . . .« Cfr. autem §. 31, 1.

„ἀλλ' ἔσθ' ὁ θάνατος“ ... Nec tamen desunt loci, quibus Sophocles illam regulam, quam Aeschylum diligentissime observasse supra demonstravimus (§. 3, 3.), neglexisse videatur. Sic O. C. 809 „ὡς δὴ σὺ βραχέα“ ..., Phil. 1029 „καὶ νῦν, τί μ' ἄγετε“; Frgm. 731, 2 „ζητῶ, τὰ δ' ἕτερα“ ..; (sic saltem legitur in codd. Pariss.; ceteri Plutarchi, qui hos versus affert (Moral. pg. 98, A), libri exhibent „τὰ δ' εὐκτά“). Quibus locis monosyllaba non tam arcte cohaerere cum vocabulis antecedentibus, quam cum sequentibus, nemo non videt. —

5. Unus exstat apud Sophoclem versus, in quo pedis alterius thesis et prior arsis solutae syllaba efficiantur vocabulis monosyllabis, tertium tribrachi tempus incipiat vocabulum sequens, Trach. dico v. 4 „ἐγὼ δὲ τὸν ἐμόν“ ... Cujusmodi solutiones in ea sede senarii plures inveniemus apud Euripidem admissas. —

6. Haud multo secus nec magis in quo offendamus propter arctissimum vocabulorum nexum, compositus est tribrachys O. C. 26 „ἀλλ' ὅστις ὁ τόπος“..., qualem solutionis formam ne ab Aeschyli quidem numeris severissimis alienam esse supra vidimus (cfr. §. 3, 5.).

7. Iambi alterius arsis soluta vocabulo bisyllabo expressa legitur El. 1264 „τότ' εἶδες, ὅτε“ ... Quales solutiones quod non saepius adhibitae sint, non miraberis, si parum elegantes iis oriri versuum incisiones memineris.

8. Denique num recte Spengelius in Frgm. 630, 1, quem versum corrupte traditum legimus apud Prisc. (pg. 1169, 11), conjecerit „ὀσμῆς μόνον ὅπως“ ..., maxime dubito propter solutionem minime, si quid video, rhythmicam. Ipse quidem hujus loci desperati inscius sum medelae.

§. 9.

De tribrachis in tertia trimetri sede adhibitis.

1. Cujus apud Aeschylum nullum reperimus solutionis exemplum, ut integro vocabulo conformetur tertius trimetri

pes, ejus unum, si recte observavi, exstat apud Sophoclem, El. 1361 „χαῖρ' ὦ πάτερ· πατέρα γὰρ εἰσορᾶν δοκῶ.“ — In voce deinde quadrisyllaba legitur tribrachys eodem, quo Aesch. Eum. 485 (cfr. §. 4, 1.), formatus modo O. R. 301 „ἄρρητά τ' οὐράνιά τε καὶ χθονοστιβῆ“; nominisque forma proprii efficit tribrachyn O. C. 1316 „τρίτος δ' Ἐτέοκλος“ … (nisi h. l. sumendam esse synizesin censeas).

2. Contra quotquot servatae nobis sunt fabulae Sophocleae, abundant tribrachis in tertia sede ita conformatis, ut arsis soluta initium sit vocabuli, thesis ultima antecedentis syllaba. Ita Ai. 81 „ . . ἄνδρα περιφανῶς“ . . ., et eodem modo v. 332, 730, 896, 1033 [1]); El. 766; O. R. 276, 844, 993, 1034; O. C. 570, 663, 1390; deinde Ant. 29 „ἐᾶν δ' ἄκλαυτον, ἄταφον“ . . . (namque quominus verborum ordinem, quem Laur. habet „ἐᾶν δ' ἄταφον, ἄκλαυτον“ servandum putemus, et numeri videntur prohibere (cfr. ad §. 8, 1) et assiduus poetarum usus, ex quo semper ista hoc ordine posuerunt verba; cfr. Hom. Il. X, 386, Od. λ, 54 et 72, Anthol. Pal. VII, 247, Eur. Hec. 30, al. Accedit, quod Eur. Phoen. 1634, quo loco ille ipse in codicibus legitur Antigones versus, manifesto adscriptus in margine a docto aliquo librario (cfr. Valcken. ad h. l.), Euripidis libri optimi revera exhibent „ἐᾶν δ' ἄκλαυτον ἄταφον“ . . .). Porro Ant. 1230, 1283, 1302 [2]); Trach. 364, 380, 1065, 1137; Phil. 495, 605, 1018; Frgm. 856, 4. — Praeterea in nominibus propriis Ai. 1292 „ὄντα Πέλοπα“, O. R. 956 „ὄντα Πόλυβον“, 990 „γεραιέ, Πόλυβος“, et Frgm. 348, 2 „προσῆψεν Ἔλατος“ [3]).

---

[1]) si revera a Sophocle profectus h. v., nec potius v. 1028—1035 ab interpolatore additi sunt. Quod si sumitur, rectius ex nostro judicio procedere videntur sententiae.

[2]) „κελαινὰ βλέφαρα“ . . ., nisi potius pro dactylo h. l. habendus est pes tertius; cfr. Spitzner., prosod. Graec., §. 7, 5; Herm., elem. d. m. pg. 46.

[3]) quod rectissime restituit Bergkius pro scriptura codicum „ΕΛΑ . ΟC“.

3. Quod genus tribrachorum arcte cohaerere cum eo, de quo modo egimus, ut thesis vocabulo monosyllabo expressa sit, saepius jam intelleximus, ejus in tertia quoque senarii sede inveniuntur apud Sophoclem exempla. Sic O. R. 248 [1]) „κακῶς νιν ἄμορον“ (codd. „ἄμοιρον“, cfr. infra part. III, cp. 3, §. 31); Phil. 337 „ὁ μηχανᾶ δὲ πότερον; Frgm. 435, 2 „χρόνου τε διατριβάς“ . . . Si Meinekii (anall. Soph. pg. 315) comprobaverimus conjecturam, quae sane speciem aliquam veri prae se fert, eadem solutionis forma occurrit Phil. 491 „Τραχινίαν τε λιθάδα“ vel „λιχάδα“ (codd. ἀμέτρως exhibent „τε δειράδα“; cfr. infra §. 31, 2.).

4. Non minor est apud Sophoclem, quam in Aeschyli versibus, numerus eorum tribrachorum, quorum arsis soluta efficiatur vocabulo bisyllabo, thesis antecedentis fine. Sic Ai. 443 „ἔμελλε κράτος“ . . ., 575 „ἴσχε διά“, 828 „τῷδε περί“; O. R. 741 „φράζε, τίνα“; O. C. 41 „σεμνὸν ὄνομ᾽ ἄν“; Ant. 742 „παγκάκιστε, διά“; Phil. 760 „δῆτα διά“, 1347 „ἑλόντα κλέος“; denique Frgm. 731, 2 „τὰ δ᾽ ἕτερα παρά“ . . .

5. Quali modo formatas vidimus tertii pedis solutiones in Aesch. Agam. 600 et Choeph. 569 (cfr. §. 4, 5.), eodem quinque legimus apud Sophoclem: O. R. 568 „. . . οὗτος ὁ σοφός“ . . .; O. C. 823 „ἐξελᾶτε τὸν ἀσεβῆ“; Ant. 31 „φασὶ τὸν ἀγαθόν“; Phil. 1029 „τί μ᾽ ἄγετε; τί μ᾽ ἀπάγεσθε“, et 1247 „δίκαιον, ἅ γ᾽ ἔλαβες“. Quorum tria illa priora exempla non habent, in quo offendamus, atque eadem, qua Aeschylea, tractata sunt diligentia; multo vero majore licentia duo ista ex Phil. allata, quippe in quibus vox monosyllaba neque cum antecedente neque cum sequente arcte cohaereat.

6. Thesis tribrachi conformata legitur voce monosyllaba, arsis bisyllaba Ant. 916 „καὶ νῦν ἄγει με διὰ χερῶν“..., quem locum luce est clarius nihil habere offensionis, quum enclit. με cum ἄγει, si pronuntiationem respicimus, unum

---

[1]) vel potius v. 269; cfr. O. Ribbeck. in Mus. Rhen. XIII. 131.

fere efficiat vocabulum. Pertinet igitur haec solutio quodam modo ad genus 4.

7. Phil. duos praebet versus, in quibus tribrachi arsis duobus conformatur vocabulis monosyllabis, thesis syllaba ultima vocis, quae antecedit: v. 651 „. . *αὐτὸ . τί γάρ*" . . ., et 918 „*μάθημα; τί με*" . . ., quod exemplum utrumque habere, quo excusetur, neminem fugiet.

8. Tribus efficitur vocabulis monosyllabis tribrachys in tertia sede O. R. 749 „*καὶ μὴν ὀκνῶ μὲν, ἃ δ' ἂν ἔρῃ μαθοῦσ' ἐρῶ*", quo loco, etsi vocabulorum respicimus nexum, majorem tamen inesse licentiam, quam qua Aesch. umquam usus est, non infitieris.

§. 10.

De tribrachis in quarta sede senarii adhibitis.

1. Uno tantum loco, ut apud Aeschylum, in quarta sede legitur tribrachys integro formatus vocabulo, O. R. 826 „*μητρὸς ζυγῆναι καὶ πατέρα κατακτανεῖν*", ubi et vocabuli *πατέρα* pronuntiatio sublevat solutionis offensionem (cfr. §. 17, 3.) et ea res, quod vocabula *καὶ πατέρα* arctissime cohaerent, ut non magis perverse conformatus dici debeat tribrachys iste, quam Frgm. 396, 3 „. . . *οὐράνιά τε σήματα*" et (in nominibus propriis) O. C. 42 et 486 „*Εὐμενίδας*", Phil. 4 „*Νεοπτόλεμε*" [1]).

2. Longe plurimi in hac sede, ut in ceteris, ii sunt tribrachi, quorum thesis formatur ultima vocabuli syllaba, arsis soluta prioribus duabus sequentis. Sic Ai. 55 „. . . *ἔκειρε πολύκερων*" . ., 59, 66, 450, 565, 1013; El. 715, 962; O. C. 260, 281, 442, 946, 981; Ant. 1071, 1199, 1209; Trach. 758, 910, 1084, 1096; Phil. 7, 257, 484, 932, 980;

---

[1]) quem versum Wunderus quidem, quamquam alia permotus causa, de qua infra agemus (§. 17, 4.), negligenter dicit compositum (adverss. in Phil. pg. 35).

Frgm. 428, 1; 459, 3; 593, 5; 696, 1; 825, 2. Praeterea in nominibus propriis Ai. 91 „χαῖρε Διογενές“, 569, 1299; El. 10, 537, 545, 576, 1498; O. R. 267, 632, 943, 950, 1235; O. C. 375, 1253, 1322; Ant. 26, 198, 1198; Trach. 9; Phil. 243. Neque minus huc pertinere videtur Trach. 602, quum quin rectissime h. l. Wunderus (comm. de schol. in Soph. tragg. auctor., pg. 26 sqq.) ex conjectura scripserit „ . . . τόνδε ταναϋφῆ πέπλον“ pro Laur. lectione „τόνδε γ᾽ εὐϋφῆ“ nullus, opinor, recentioris aetatis editor dubitet, praesertim quum confirmari videatur illa emendatio verbis Schol. ad h. l., Hesych., Phot., Suidae, qui explicant ταναϋφῆ per λεπτοϋφῆ (cfr. Dind. ad h. v.).

3. Quibus soluti pedis quarti exemplis statim adjungendi ii versus, quorum in quarta sede tribrachi thesis expressa sit vocabulo monosyllabo. Atque haec quidem in tragoediis melioris notae arctissime semper cohaerere cum vocabulis antecedentibus quum in ceteris senariorum tractandis sedibus vidimus, tum ostendunt luculentissime exempla hoc loco afferenda. El. 693 „ . . . Ἀργεῖος μὲν ἀνακαλούμενος“ [1]); Trach. 784 „τοῦ δὲ διαπεπραγμένου“; Phil. 485 „προσπίτνω σε γόνασι“, 582 „μή με διαβάλῃς“, 809 „μή με καταλίπῃς“; Frgm. 264, 1 „πατὴρ δὲ ποταμός“. In nominibus propriis O. R. 1053 „ἥκιστ᾽ ἂν Ἰοκάστη“; O. C. 1595 „τοῦ τε Θορικίου“; Ant. 902 „νῦν δέ, Πολύνεικες“ . . . Neque dubium videtur, quin suo jure Trach. 743 Porson. et Herm. restituerint (sec. Suid. s. v. οἴ μοι) φανθὲν τίς ἂν δύναιτ᾽ ἂν ἀγένητον ποιεῖν“, quo loco in Laur. a pr. m. omissum est alterum ἄν, in apographis plerisque pro „ἀγένητον“ scriptum „ἀγέννητον“, loci sententiae parum aptum. — Uno vero loco, eoque ex fabula desumto, quam metrum respicientes saepius jam vidimus paullo majore scriptam esse licentia, quod alias de hoc solutionis genere observavimus, neglectum est, Phil. 1238 „δὶς ταὐτὰ βούλει

---

[1]) Dindorf., ut alias, h. l. spreta librorum auctoritate, edidit „ἀγκαλούμενος.“

καὶ τρὶς ἀναπολεῖν μ' ἔπη;" Nullo tamen pacto corrigendus h. v. videtur, quamquam facillima praesto est conjectura „*δὶς ταὐτὰ βούλει τρίς τέ μ' ἀναπολεῖν ἔπη;*"

4. Quarti pedis arsis soluta vocabulo efficitur bisyllabo, arcte conjungendo cum sequente: Ai. 685 „. . . *ἐλθοῦσα διὰ τέλους*" . . .,·822 „*ἀνδρὶ διὰ τάχους*"; El. 671 „*εἰπὲ· παρὰ φίλου*"; Ant. 1060 „*τἀκίνητα διὰ φρενῶν*"; frgm. 141, 2 „*ἥμαρτε· περὶ δ' ἐμῷ*" et 726, 6 „*παῖδα διὰ κάρα*" . . .

5. Unus tantum, ut apud Aesch., exstat versus, ubi longa quarti iambi syllaba ita soluta sit, ut in ejus loco duo vocabula monosyllaba substituantur, O. C. 985 „... *ἔξοιδα, σὲ μὲν ἑκόντ' ἐμέ*"; qualis solutio nihil habet offensionis, quum duo illa vocabula arcte et inter se cohaereant et cum sequentibus sint conjungenda.

6. Nec multo aliter comparatus est Ant. v. 1108 „*ὧδ' ὡς ἔχω στείχοιμ' ἄν· ἴτ' ἴτ' ὀπάονες*", quo loco syllabas arsis solutae arcte conjungat apostrophus. Accedit, quod Creon h. l. summa animi concitatione summaque vi illa pronuntiat verba: unde fit, ut minus audiatur versus incisio.

7. Neque etiam haerendum est in solutionibus, quales leguntur Ai. 530 „. . . *παῖδα τὸν ἐμὸν, ὡς ἴδω*" et O. R. 967 „*ἔμελλον πατέρα τὸν ἐμόν*". Quam proposuit Deventer (de interpoll. Soph. pg. 60) conjecturam loco multifariam tentato ab hominibus doctis (cfr. Jahnii annot. crit. ad h. l.), El. 451 „*ἄχω, δὸς αὐτῷ, τήνδε τε λιπαρὰν τρίχα*", etsi propter metrum fortasse liceat ita scribi (quamquam equidem in hac ipsa fabula minime ferendam esse talem solutionem persuasum habeo [1])), tamen quum codicum lectio „*τήνδ' ἀλιπαρῆ*" optime explicari possit (cfr. Dind. ad h. v.), haudquaquam censeo necessariam.

---

[1]) Omnino priori tempore rarissime admisisse videntur tragici encliticas in arsi iambica pedis trisyllabi; cfr. Porson., praef. ad Hec. pg. XVIII, Elmsl., „review of Markland's Suppl.", ad v. 158, Boeckh, de metr. Pind., III, cp. 22, pg. 312.

8. Qui legitur in quarta sede tribrachys frgm. 335, 1 (fab. satyr.) „. . . ὥς τις ὄνος ἰσόσπριος“, cujus thesis vocabulo monosyllabo, arsis bisyllabo formatur, in eo nos offendere iterum vetat ea res, quod enclitica h. l. τὶς arctissime conjungenda sit et quasi unum efficiat cum vocabulo antecedente.

9. Contra quod conj. Froehlich. in El. 691 „. . . πεντάεθλ' ἃ νομίζεται“, qualis solutionis forma, si recte observavi, nusquam alias apud Soph. invenitur, ut hac ratione locum illum desperatum sanaverit, maxime vereor. Jure videtur hunc versum utpote spurium ejecisse Lachmannus (de mens. tragg. pg. 45).

§. 11.

De tribrachis in quinta sede admissis.

Non aliter, atque Aeschylum videmus vitare in universum solutionem quinti pedis, quippe quae deminuat numerum iambicum, Sophocles raros tantum admittit tribrachos in hac sede, ubi admisit, singulari semper diligentia tractat, etsi non tam certis severisque sese adstrinxisse videtur legibus, quam Aeschylus. —

1. Novum incipit arsin vocabulum, thesin efficit finalis syllaba vocabuli, quod antecedit, uno loco, Phil. 1302 „οὐκ ἂν μεθείην. — φεῦ, τί μ' ἄνδρα πολέμιον“.

2. Primum tribrachi tempus expressum invenitur voce monosyllaba O. R. 1505 „. . . μή σφε περιίδῃς“ [1]); Phil. 1327 „ὃς τὸν ἀκαλυφῆ“; frgm. 235, 1 „ἐστὶ γάρ τις ἐναλία“. Num vero suo jure in El. fabulam intulerit hujus modi solutionem Elmsl., v. 914 scribendum proponens (ad Eur. Med. 416) „τοιαῦτα πράσσειν οὔτε δρῶσ' ἂν ἔλαθεν ἄν“ pro lectione vulgari „δρῶσ' ἐλάνθανεν“, possis dubitare.

---

[1]) ut recte scripsit Dawesius pro codd. „παρίδῃς“, quod metri causa ferri nequit.

Quum autem particula ἄν h. l. deesse nequeat (v. Hartung. ad h. v.), satis facili mihi videtur locum emendasse litterarum mutatione Heathius „ἐλάνθαν᾽ ἄν", quum in Laur. scriptum sit compendio „ἐλάνθαν῾" . . . (cfr. Dind. annot. crit. ad h. l.).

3. Duobus vocabulis monosyllabis exprimitur arsis O. R. 967 „κτανεῖν ἔμελλον πατέρα τὸν ἐμόν; ὁ δὲ θανών", quo loco eo minus offendimus in ea solutione, quod summa loquitur animi concitatione Oedipus.

4. Quales versus majore putat licentia compositos Seidlerus (de verss. dochm. pg. 381 sqq.), principique regulae, quam secutos esse et tragicos et comicos dicit, adversari, eorum multo plura, quam apud Aesch. reperiuntur, exempla Sophoclis suppeditant tragoediae.

Quintum pedem integro vocabulo formatum ostendunt Ai. 459 „. . . πᾶσα καὶ πεδία τάδε"; O. R. 1496 „τὸν πατέρα πατήρ". Summa vero exorta est lis, num ferri possit quod legitur in O. R. v. 719 „ἔρριψεν ἄλλων χερσὶν εἰς ἄβατον ὄρος". Hanc codicum lectionem Musgr., satis quidem levem adhibens medicinam, mutavit in „ἄβατον εἰς ὄρος", ut solutio oreretur quarti pedis, qualem esse frequentissimam supra vidimus (cfr. §. 10, 2.). Musgravio assensi sunt Herm. (praef. ad Eur. Hec. pg. XXXIX), Seidl. (l. l. pg. 389), Dind., Hart., Bergk., alii. Contra Elmsl. exemplis allatis defendere studuit Laur. scripturam; eum secutus Schneidewin. (cfr. ejus annot. ad h. l.), neque ipse quin ab ejus stem partibus facere possum. Nnllo enim mihi pacto sufficit causa, quam cur mutanda sit codd. lectio, affert Dind. „parum est credibile, Sophoclem hoc usum esse exitu trimetri, quum in promtu esset, numeris elegantibus scribere", neque jure eum dixisse putaverim: „illud est majore exemplorum numero demonstrandum, usos esse tali trimetri forma poetas, ubi verbis aliter collocatis facile vitari poterat." Esse poetarum censemus, qua velint ratione quaque ipsis optimum videatur, componere versus; atque etiamsi saepius nobis occurrat, quod elegantius meliusve scribi po-

tuisse putemus a poetis, non tamen ea de causa librorum lectione spreta corrigere versus licebit. Itaque usque dum causae allatae sint graviores majorisque momenti, retinendam esse h. l. Laurentiani scripturam censemus „εἰς ἄβατον ὄρος“ [1]).

5. Restant [2]) postremo loco duo exempla quinti pedis soluti ea ratione, ut tribrachyn tres syllabae finales vocabuli conforment, quale solutionis genus apud Aesch. quoque inveniri supra vidimus. El. 326 „ . . . Χρυσόθεμιν“ . ., et Ant. 418 „οὐράνιον ἄχος“.

Singularis est versus, quem tamquam Sophocleum affert Athen. IV, pg. 164, A (frgm. 305) „μαστιγίαι, κέντρωνες, ἀλλοτριοφάγοι“, quem quia fabulae sit satyricae, majore licentia compositum esse credamus necesse. Fortasse tamen haud alienum a vero, omnino non Sophocli, sed comico alicui eum esse tribuendum, id quod quodammodo verbis Eustathii firmatur, qui ad Od. pg. 1404, 13 allato illo versu addit: „ὃ δὴ ἐκ τῶν τοῦ Σοφοκλέους εἶναι λέγεται.“

Caput tertium.

De tribrachorum usu in Euripidis tragoediarum senariis.

§. 12.

De tribrachis in prima senarii sede adhibitis.

Apparet ex iis, quae in primo et altero disputationis nostrae capite exposuimus, tribrachos multo plures eosque majore licentia, nonnullis certe in tragoediis (O. C., Phil.),

---

1) cfr. de his talibus tribrachis Fix. ad Eur. El 13.

2) nam quod legitur O. R. 763 in multis codicibus deterioris notae „ . . . ἄξιος γὰρ ὅδε γ᾽ ἀνὴρ“ (Laur. „ὅγ᾽ ἀνήρ“), vix est, quod commemorem, quum quin rectissime Herm. pro Laur. „ὅγ᾽“ . . . scripserit „οἵ᾽ ἀνήρ“, nemo, quantum scio, adhuc dubitet.

conformatos admisisse Sophoclem, quam Aeschylum. Longe vero ille in ea re superatur ab Euripide, qui in metro tractando haud raro usque eo negligentiae progressus est, ut fabularum ejus versus sermonem fere vulgarem adaequare videantur (cf. Herm., praef. ad Hec. LXII). Quamquam Euripidis quoque non omnes eadem scriptae sunt licentia. Quo enim posteriore tempore compositae sunt, eo negligentius earum metrum in universum tractatum, inque primis auctus solutionum, ut ita dicam, liberiorum numerus, id quod tam certa fide atque auctoritate firmatum putavere quum alii homines docti, tum Zirndorferus, ut hoc indicio, si cetera deessent, definire posse tempus cujusque fabulae Euripideae sibi videretur (in dissert. „de chronol. fabull. Eurip.“). Quod etsi vereor, ne fieri possit, ut nimis credulos nos fallat indicium, id tamen quin constet dubitari nequit, Hippolytum, Medeam, Heraclidas, Alcestin, Rhesum [1]) et Andromachen multo majore, si metrum respicimus, diligentia compositas esse atque omnino fere vacare ea metri tractandi incuria, quam imprimis ca. Ol. LXXXX invasisse in artem dramaticam recte videtur statuere Hermannus [2]). Quae observatio quo jure facta sit, quum clarius omnibus exemplis solutionum ex Euripide allatis atque, quoad nostrum sit, pertractatis perspiciatur, nunc primo loco de tribrachis, quos qualesque in senariorum initio invenimus, disserere in animo est.

1. Quod nusquam Aeschylum, nonnullis tantum locis Sophoclem fecisse vidimus, ut tribrachos admitteret in prima versus sede duobus vocabulis tribusve conformatos, eos satis multos legimus apud Euripidem. Quamquam ii quidem numero longe superantur magna tribrachorum copia,

---

[1]) cujus fabulae, quamquam ab Euripide non profectae, tamen rationem esse ubique habendam duxi, quamque semper in hac disputatione tamquam Euripideam attuli.

[2]) elem. doctr. m. pg. 123, aliisque locis permultis. Cfr. supra pg. 12, [1]).

quos efficiant integra vocabula. Hujus modi inveniuntur pedes soluti: Hipp. [1]) 276 „πότερον“..., 460 et 1404 „πατέρα“, 516 et 1009 „πότερα“; Heracl. 219 „πατέρα“, 393 „πεδία“, 405 „λόγια“; Med. 10 et 896 „πατέρα“, 273 „φυγάδα“, 378 et 697 „πότερον“; Alc. 16, 339, 647 „πατέρα“, 351 „ὄνομα“, 520 et 1051 „πότερα“; Rhes. 630 „πότερα“, 894 „δόλια“; Andr. 199 „πότερον“, 417 „δάκρυα“, 885 „ὄνομα“, 1216 „ἄτεκνος“... Quae fabularum severiore arte compositarum exempla etiam obiter spectantem vix quemquam fugit, pleraque esse ita comparata, ut in vocabulis, quae efficiunt tribrachos, aut collidant duae vocales, aut liquida ϱ medium teneat inter eas locum. Qua ratione quum apud Aesch. quoque et Soph. conformatas saepissime legamus solutiones', haud errare nobis videmur, si illarum pronuntiatione litterarum multo faciliores fieri et expeditiores sumamus solutiones. Cf. infra §. 17, 4.

Largior tribrachorum numerus exstat in ceteris fabulis posteriore tempore scriptis, in quibus quod modo observasse nobis videmur, plerumque neglectum. Quinque suppeditat exempla Hec., v. 260, 315, 811, 978, 1172; sex Suppl., v. 166, 206, 224, 311, 454, 740; septem El., v. 13, 91, 257, 325, 514, 653, 840; decem Herc. fur., v. 194, 528, 561, 584, 721, 922, 968, 1265, 1318, 1333; decem Troad., v. 38, 64, 348, 506, 508, 777, 870, 978, 1022, 1200; no-

---

[1]) Fabulas Eurip. in iis, quae sequuntur, eo ordine citare nobis liceat, ut, quo quaeque minorem suppeditet solutionum numerum, priorem obtineat locum. Quae quum ita sint, haud prorsus alienum videtur a proposito, h. l. numero comprehendere cujusque tragoediae solutiones; quarum quae nominum syllabis conformantur propriorum, in censum non veniunt. Continet igitur Hipp. ca. 43 pedes solutos in 996 trimetris, Heracl. 49 in 886, Med. 69 in 1037, Alc. 51 in 798, Rhes. 56 in 668, Andr. 110 in 952, Hec. 126 in 947, Suppl. 126 in 922, El. 167 in 956, Herc. Fur. 216 in 984, Troad. 171 in 789, Iph. T. 256 in 1074, Ion 276 in 1042, Hel. 346 in 1256, Phoen. 321 in 1151, Iph. A. 303 in 884, Cycl. 215 in 585, Bacch. 359 in 916, Or. 468 in 1151. —

vem Iph. T., v. 337, 492, 497, 539, 586 [1]), 697, 1355, 1392, 1452; tredecim Ion, v. 75, 281, 588, 778, 800, 947, 1317, 1333 [2]), 1334, 1345, 1375, 1433, 1586; undecim Hel., v. 65, 87, 139, 414, 487, 776, 834, 915, 963, 1083, 1430; quindecim Phoen., v. 13, 76, 174, 359, 367, 467, 560, 751, 1017, 1135, 1179, 1597, 1629, 1647, 1656; septem Iph. A., v. 653, 828, 1099, 1102, 1215, 1455, 1550; novem Cycl., v. 120, 192, 203, 211, 232, 301, 342, 434, 559; quatuordecim Bacch., v. 56, 59, 219, 250, 279, 296, 440, 469, 494, 698, 755, 936, 941, 1072; duodecim Or., v. 54, 220, 224, 234, 296, 403, 454, 474, 886, 906, 956, 1576. — Praeterea h. l. afferendi sunt versus e frgm. 56, 1; 173, 2; 198, 4; 254, 2; 257, 5; 284, 19; 340, 1; 400, 2; 552, 2; 556, 1 et 2; 729, 2; 736, 3; 899, 1; 971, 5; 1023, 1. —

Denique in nominibus propriis: Rhes. 925, Hec. 621, El. 5, Troad. 1220, Iph. T. 917, Ion 1400 et 1583, Iph. A. 473, Cycl. 103, Bacch. 1250, frgm. 230, 1.

2. Multo minor apud Euripidem est numerus eorum tribrachorum, qui in vocabulo plus tribus continente syllabis efficiant versus initium. Quorum in fabulis sex illis severioris artis invenitur exemplum nullum, exceptis duobus Androm. versibus, 746 „ἀδύνατος“..., et 803 „διάδοχον“..; neque nullum praebent Hec., El., Iph. T., Ion. In Suppl. bis tribrachyn efficit nomen Ἐτεοκλῆς, in prima sede senarii positum, v. 401 et 739; bis nomen „Ἐτέοκλος“, v. 872 et 1037. — Contra legitur Herc. fur. 1133 „ἀπόλεμον“..., Troad. 614 „ἀγόμεθα“; Hel. 498 „ὀνόματα“, 1043 „ἀδύνατον“, 1555 „ἐθέμεθα“, 1560 „ἐκάλεσεν“; Phoen. 570 „ἀσύνετα“, 932 „ἐγένετο“, 1693 „προσάγαγε“... atque qua-

---

1) „φονέα“...; nisi potius sumendum, α h. l., ut plerumque fit, produci. Cf. Spitzner, prosod. Gr. §. 20, 2, a.

2) recte enim vidisse Porsonum, etiam hoc in versu, ut in eo, qui sequitur, „καθαρός“ pro librorum lectione „καθαρῶς“, omnes, opinor, consentiunt homines docti.

tuordecim locis in nom. propr. Ἐτεοκλῆς: v. 56, 73, 529, 698, 865, 1073, 1223, 1252, 1372, 1390, 1422, 1587, 1646, 1697. Iph. A. 432 „ἐκόμισε", 654 „ἀσύνετα", 1105 „ἀνόσια"; Cycl. 126 „γλυκύτατα", 177 „ἐλάβετε", 410 „ἀνέπεσε"; Bacch. 57 „ἐκόμισα", 754 „διέφερον", 968 „φερόμενος", 1110 „προσέθεσαν", 1243 „μακάριος"; Or. 223 „ὑπόβαλε", 555 „ἐλογισάμην", 563 „ἀνόσια", 603 „μακάριος", 652 „ἀπέδοτο", 890 „διχόμυθα", 919 „ὀλιγάκις"... Praeterea h. l. commemorandi versus frgm. 168, 1 „ὀνόματι", 258, 1 et 791, 1 et 1043, 1 „μακάριος", 735, 1 „ἀσύνετος". — Frgm. 1117, quippe quod Euripidi nemo adhuc vindicare studeat, v. 4, ubi in initio senarii legitur „Ἀκρίσιος" huic adscribere loco supervacaneum videtur.

3. Praeter has duas tribrachi formas, unice quae exstant apud Aeschylum, Euripides, raro quidem, adhibuit etiam tribrachos in prima senarii sede majore licentia formatos, nec tamen eos in fabulis, quas supra diligentius scriptas magisque ad pristinam artem compositas statuimus. Principem obtineat locum, quod Sophoclem quoque admisisse intelleximus (cf. §. 7, 3), tribrachorum genus, qui vocabulo monosyllabo et bisyllabo conformati sint. Quae quamquam plerisque locis, pariter atque apud Sophoclem, arctissime inter sese cohaerent, ut unum fere efficiant, in nonnullis tamen secus esse videtur exemplis, imprimis tragoediarum deterioris notae (sit venia verbo!). Itaque non nimis offendimus in locis, qualis Hec. 320 „τὸν ἐμὸν ὁρᾶσθαι"..., Ion. 244 et 429 „τί ποτε"..., 1343 et 1537 „ὁ θεός"; Iph. T. 1072 et Cycl. 210 „τί φατε"; Iph. T. 1157 „τί τόδε"; Bacch. 194 et 923 „ὁ θεός"; Or. 941 „ὁ νόμος"; frgm. 38, 1 „ὁ χρόνος", 68, 1 „ὁ φόβος", — quippe in quibus voculas arctissime conjungendas appareat atque fere unius instar recitatas esse revera credendum sit. Habent vero, si quid sapio, paullo plus offensionis Hel. 502 „ὅς ὄνομ' ἀκούσας"..., Iph. A. 957 „ὅς ὀλίγ' ἀληθῆ"..., Or. 1588 „ὁ πατρὸς ἀμύντωρ". Quamquam minime dubium, quin Euripides revera istiusmodi solutiones in his fabulis

admiserit. Magis autem incertum, immo vero prorsus veri videtur dissimile, in Medea quoque, quam, quod attinet ad metrum, inter perpolitas diligentissime referendam esse scimus, tolerari posse hujus generis tribrachyn, qualem conjectura intrusit in v. 1333 Nauckius, scribendum censens „τὸν ἑὸν ἀλάστορ' εἰς“... (Vat., Havn., Paris., alii codd. optimae sane notae „τὸν σὸν“..., aperte ἀμέτρως). Accedit, quod haec pronominis forma epica rarissime tantum videtur esse usurpata a tragicis (cfr. Elmsl. ad Eur. Med. 925, Kruegeri Gr. Gr. II. §. 25, 3, ann. 2). Magis igitur placet Kirchhoffii conj. „τοῖόν σ' ἀλάστορ' εἰς“..., codicum enim deteriorum lectio „τὸν σὸν δ' ἀλάστορ'“... nimis redolet librarii doctrinam.

4. Nec desunt in Euripidis fabulis in initio senarii tribrachi vocabulo monosyllabo syllabisque duabus, quae sequentis efficiunt initium, conformati, quales nonnullos jam Sophoclem admisisse supra vidimus (§. 7, 4). Herc. Fur. 1134 „τί πόλεμον“...; Ion. 976 „τὰ δυνατά“, 1224 „τὸν ἱερόν“; Hel. 43 „τὸ δ' ὄνομα“, 456 „τί βλέφαρα“; Phoen. 952 „τὸν ἕτερον“; Iph. A. 1232 „σὺ δ' ἐπιλέλησαι“, 1409 „τὸ θεομαχεῖν“; Cycl. 265 „μά θ' ἱερά“, 677 „ὁ μιαρός“; Bacch. 485 „τά θ' ἱερά“, 490 „σὲ δ' ἀμαθίας“...; Or. 643 „ἃ δ' ἔλαβες“; denique frgm. 969, 3 „τὸν ἄδικον“... et 1039, 9 „τὸ διαβιῶναι“...

5. Tribus locis legitur apud Euripidem tribrachys in prima sede duobus vocabulis monosyllabis initioque ejus, quod sequitur, formatus: Suppl. 158 „τὸ δὲ πλέον“...; Phoen. 390 „τίς ὁ τρόπος“... et 1659 „δός· ὁ δ' ἐπιών“..., quorum quem postremo loco commemoravi, maxime notandus, quippe in quo interpunctione thesis ab arsi soluta prorsus sit disjuncta, quum in priore utroque versu voculae arcte cohaereant inter sese.

6. Vocabulis bisyllabo et monosyllabo efficitur tribrachys Phoen. 401 „ποτὲ μὲν ἐπ' ἦμαρ“... et frgm. 644, 1 „βαρὺ τὸ φρόνημ' οἴησις“..., qualis solutionis minime ele-

ganter, si quid video, compositae neque apud Aeschylum, neque apud Sophoclem ullum invenitur exemplum.

§. 13.

De tribrachis in altera senarii sede adhibitis.

Id quod quum primae sedis tribrachos apud Euripidem spectamus nos fugere nequit, plurima eum novasse, majore licentia usum, quam Aeschylum et Sophoclem, modo fabulas nonnullas ad pristinae artis regulam perpolitas excipiamus, luculentius etiam in solutionibus alterius pedis trimetri sine ullo negotio conspici potest. Quid enim, quod quorum tribrachorum apud Aeschylum quinque, septem vel octo apud Sophoclem sint discernenda genera (cf. §. 3. §. 8) eorum duodecim exstant in fabulis Euripideis?

1. Raro quidem in secunda senarii sede Eur. utitur tribrachis voce trisyllaba conformatis. Nec tamen deest exemplum ex fabula optimae notae desumtum. Legitur Med. 375 „θήσω πατέρα τε καί“...; quo loco encliticam sequi post vocem πατέρα, pronuntiatione quoque excusatam (cf. §. 17, 4), tenendum est. Idem in eadem senarii sede vocabulum invenitur El. 970 „ὥσπερ πατέρα σόν“..., Ion. 968 „σὲ καὶ πατέρα σόν“... Offensionis vero non ita videntur expertes versus Iph. A. 932 „σὲ δ' ὦ σχέτλια παθοῦσα“..., 1222 „φίλας χάριτας ἔδωκα“...; Bacch. 18 „κεῖται μιγάσιν Ἕλλησι“..., 261 „ὅπου βότρυος ἐν δαιτί“..., 662 „λευκῆς χιόνος ἀνεῖσαν“..., 1302 „ὑμῖν ἐγένεθ' ὅμοιος“...; Cycl. 203 „ἄνεχε, πάρεχε, τί τάδε;“... Quibus tribrachis versum incidi haud quaquam eleganter quis est quin cernat? Quae tamen res nullo, opinor, nos pacto commovebit, ut Nauckio adstipulemur, qui eorum duobus locorum removendam censuit istam solutionem, Bacch. 662 transponens verba „λευκῆς ἀνεῖσαν χιόνος“..., et Iph. A. 1222 eadem utens medicina „χάριτας φίλας ἔδωκα“..., vel Kirch-

hoffio, Iph. A. 932 corrigenti „. . παθοῦσα σχέτλια“ (cfr. Arist. Plut. 856). — Vide Fix. ad Eur. El. 13.

2. Contra haud ita exiguus est numerus tribrachorum, quorum thesis et arsis uno vocabulo, eo vero plus tribus continente syllabis, efficiantur. Nullum quidem inveni ejus solutionis exemplum in sex istis severioris stili fabulis, neque in Hec., Suppl., El.; plurima vero in ceteris. Herc. fur. 93 „ἐν ταῖς ἀναβολαῖς ...“, 493 „ἡ πρὶν μακαρία“; eodem modo Troad. 504, 704; Iph. T. 545; Ion. 1005, 1576, 1582; Hel. 148, 294, 869, 949, 976, 1211; Phoen. 548, 1391, 1600, 1611; Iph. A. 62, 402, 409, 500, 502, 690, 691, 852, 976, 1156, 1189, 1195, 1220, 1461; Cycl. 13, 318, 589, 671, 686; Bacch. 29, 175, 201, 651, 664, 697, 749, 808, 950, 974, 1067, 1081, 1204; Or. 4, 28, 86, 244, 246, 250, 251, 294, 313, 472, 541, 546, 594, 630, 665, 722, 723, 1142, 1228, et si Nauckium sequimur, etiam v. 1236 („ἐγὼ δ' ἐπενεκέλευσα“). His locis addendi sunt versus frgm. 57, 1; 646, 1; 851, 3; 856, 1; 926, 3. Praeterea in nominibus propriis Phoen. 443 „καὶ μὴν Ἐτεοκλῆς“, 860 „δορὸς Δαναϊδῶν“; Iph. A. 1168 „Ἑλένην Μενέλεως“ [1]); Cycl. 106 „πόθεν Σικελίαν“, 443 „λέγ' ὡς Ἀσιάδος“. — Majore negligentia compositi sunt ii versus, quorum pedis alterius thesis arsisque soluta vel in medio vocabulo vel in ejus fine positae sunt. Sic Iph. T. 1284 „ὦ ναοφύλακες“; Hel. 493 „τοῦ καλλιδόνακος“; frgm. 259, 2 „ἥ τ' ἀξυνεσία“, 374, 1 „πᾶς δ' ἐξεθέρισεν“ [2]). Quod idem in nominibus propriis invenitur, non mirum, quum haud raro vix alio modo inseri potuerint versui; sic Alc. 839 „Ἠλεκτρυόνος . . .“; El. 1260 „Ἁλιρρόθιον“; Ion. 999 „Ἐριχθόνιον“, denique Hel. 1643 „Θεοκλύμενε.“

3. Longe vero plurimi inveniuntur tribrachi in altera

---

[1]) recte enim, nisi fallor, Dobraeus hanc nominis formam scribendam h. l. vidit pro altera, quam libri exhibent, »Μενέλαος«, ne duo sese excipiant anapaesti, qui tollunt numerum iambicum.

[2]) Nauck. conj. „πάσας δ' ἐθέρισεν.“

sede senarii ita conformati, ut thesis finiat vocabulum, arsis prioribus efficiatur syllabis ejus, quod sequitur. Neque ii desunt in tragoediis diligentioris stili, excepta Hippolyto. Quinque exempla praebent Heracl., v. 70 („ἀμύνεθ᾽ · ἱκέται“...), 196, 719, 731, 955; unum Med., v. 497; sex Alc., v. 159, 166, 175, 187, 1095, 1141; duo Rhes., v. 428, 628; octo denique Androm., v. 52, 442, 449, 564, 573, 749, 812, 873. — In reliquis fabulis multo etiam major est numerus ejus tribrachorum generis; ita septem leguntur in Hec., v. 30 [1]), 416, 544, 559, 752, 801, 1159; novem in Suppl., v. 36, 142, 233, 261, 363, 413, 507, 935, 1102; undecim in El., v. 35, 241, 310, 388, 410, 794, 826, 834, 855, 943, 1137; quatuordecim in Herc. f., v. 10, 31, 102, 167, 468, 488, 515, 523, 716, 945, 1164, 1248, 1276, 1283; decem in Troad., v. 6, 352, 608, 774, 779, 960, 1033, 1186, 1274, 1283; quindecim in Iph. T., v. 97, 100 [2]), 290 (quamquam cfr. Köchlyi annot. crit. ad h. v.), 360, 367, 469, 783, 789, 914, 953, 973, 1027, 1161, 1192, 1441; quinque et viginti in Ione, v. 259, 263, 310, 340, 394, 439, 449, 661, 662, 775, 808, 822, 837, 992, 996, 997, 998, 1124, 1191, 1195, 1309, 1339, 1359, 1389, 1588; unum et viginti in Hel., v. 53, 126, 150, 265, 273, 605, 858, 867, 894, 966, 991, 1002, 1019, 1089, 1103, 1105, 1190, 1224, 1261, 1384, 1542; quatuordecim in Phoen., v. 90, 510, 525, 747, 858, 874, 918, 931, 933, 1138, 1140, 1234, 1441, 1663; quindecim in Iph. A., v. 55, 314, 430, 433, 450, 466, 505, 631 (qui versus a plerisque criticae peritis inter spurios refertur), 645, 697, 927, 1008, 1114, 1453, 1625; undecim in Cycl., v. 104, 136, 221, 259, 269, 344, 410 („ἀνέπεσε φάρυγος“ secundum probabilem Scaligeri emendationem; codd.

---

1) „ἄκλαυστος ἄταφος“..., quae verba in Flor. *C* inverso scripta sunt ordine, id quod haud quaquam recipiendum. Cfr. ad §. 9, 2.

2) ex conj. Badhami verisimillima „ὧδ᾽ οὐδὸν ἔσιμεν“; libri „ὧν οὐδὲν ἴσμεν.“ Nauck., longius recedens a codicum vestigiis. maluit scribi „θύραθεν ἔσιμεν“...

„*φάρυγγος*“, numeris minime elegantibus), 436, 560, 691; duodeviginti in Bacch., v. 11, 49, 57, 276, 350, 503, 719, 725, 948, 954, 956, 1079, 1088, 1095, 1098, 1110, 1305, 1356; denique undetriginta in Or., v. 34, 37, 65, 70, 76, 80, 97, 102, 107, 248, 249, 255, 261, 298, 310, 367, 500, 515, 558, 643, 658, 695, 890, 894, 922, 1038, 1210, 1608, 1614. — Praeterea viginti duo afferenda sunt h. l. exempla e fragmentis petita: frgm. 147, 1; 200, 2; 219, 1; 250, 1; 277, 2; 356, 3; 364, 31; 485, 2; 491, 1; 495, 2 et 5; 521, 1; 522, 5; 530, 2; 557, 2; 781, 9 et 35; 914, 1; 944, 1; 1016, 1; 1032, 1; 1058, 7. — Ut denique addam, quae eodem efficiunt modo arsin solutam nomina propria, ter et vicies legitur in altera trimetri sede nomen *Ἑλένη* (El. 214, 1027, 1283; Troad. 369, 1214; Iph. T. 8; Hel. 85, 109, 289, 591, 611, 886, 1435, 1515, 1603, 1645, 1686; Iph. A. 1253; Or. 20, 1196, 1380, 1613, 1673); quinquies *Ἑκάβη* (Hec. 3, 657, 1123, 1133; Troad. 37); bis *Πρίαμος* (Hec. 493; Troad. 17); bis *Πυλάδης* (El. 111, 887); bis *Ἰοκάστη* (Phoen. 12, 289); bis *Ἀφροδίτη* (Phoen. 399; Iph. A. 1264); bis *Δαναοί* (Phoen. 1145; Or. 1621); bis *Βρόμιος* (Cycl. 99; Bacch. 446); deinde *Ἀγαμέμνων* (Iph. T. 4), *Μενέλαος* (Hel. 131), *Πολυνείκης* (Phoen. 1392), *Παλαμήδης* (Or. 433), *Πελίας* (Med. 734), *Ταλαός* (Phoen. 422), *Μεγάρα* (Herc. f. 712), *Σεμέλη* (Bacch. 335), *Διόνυσος* (ib. 517), *Κύπρις* (Hel. 883), *Θέτις* (Hec. 388), *Ἑκάτη* (Hel. 569), *Τάφιοι* (Herc. f. 60), *Πελοπόννησος* (frgm. 730, 1), *Λαμία* (fr. 914, 2), *Ἀσία* (fr. 971, 4).

4. Haud multo minor est numerus tribrachorum in altera sede, quorum thesis vocabulo monosyllabo, arsis prioribus ejus, quod sequitur, syllabis conformatae sunt. Quam regulam Aeschylum in adhibendo hoc solutionis genere secutum esse observavimus (§. 3, 3.), a Sophocle plus semel neglectam (§. 8, 4.), saepe eam violavit Euripides, vocabula ponens monosyllaba, quae minime arcte cohaereant cum antecedentibus. Quamquam longe plurimis locis encliticas legi concedendum est, quae quasi unum efficiant cum eo

verbo, cujus ultima syllaba recipiat accentum. Sic tribrachi thesin conformat particula τέ: Rhes. 394; Andr. 40, 174, 197; Hec. 1210; Suppl. 488; Herc. f. 325, 926, 1297; Troad. 345, 769, 1241; Ion. 635, 1182, 1584; Hel. 768; Phoen. 537, 1394; Iph. A. 491; Cycl. 249, 307; Bacch. 270, 329, 362; Or. 282, 458, 677, 905, 1636, 1679; frgm. 288, 7 et 419, 4. Particula γέ: Hipp. 326; Andr. 247; Suppl. 136; El. 279; Herc. f. 1403; Iph. T. 631; Ion 298; Phoen. 1652; Bacch. 499. Particula ποτέ („ποτ᾽" vel „ποθ᾽"): Hec. 762 et Hel. 99; νύν Or. 1101 et 1599. Deinde nonnullae pronominum personalium formae encliticae, ut „μέ" Med. 1046, Hel. 593, Phoen. 1601, Iph. A. 673, 1467; „σέ" Hipp. 607, Med. 324, Herc. f. 709, Troad. 890, 1042, Hel. 480, 1237, Phoen. 923, Iph. A. 506, 1028, 1233, Or. 710; „νίν" Troad. 249, Hel. 135, Iph. A. 992; dein pronomen indefinitum τίς (τί): Andr. 1147, El. 104, Iph. T. 1170, Hel. 1172, Iph. A. 838, Bacch. 480, Or. 903, frgm. 184, 1. Praeterea huc pertinent particulae, quae in primo enunciati loco collocari nequeunt, ut „δέ": Hipp. 78; Heracl. 211; Med. 483; Andr. 1129; Hec. 243, 245, 823, 1155, 1157; Suppl. 176, 222, 444, 659, 676; El. 372, 803; Herc. f. 9, 231, 482, 560; Troad. 41, 89, 767; Iph. T. 307, 314, 331, 384, 712, 916; Ion. 46, 326, 382, 1130; Hel. 564; Phoen. 101, 290, 430, 880, 1003, 1013; Iph. A. 424, 642, 678, 955, 1002, 1117, 1221; Cycl. 18, 304, 394; Bacch. 195, 216, 221, 465, 680, 739, 746, 1103; Or. 254, 288, 382, 519, 547, 557, 1144; frgm. 202, 1; 545, 1; 642, 3; 732, 1; 1045, 2, 3. Particula „μέν" Heracl. 508, Herc. f. 240, Ion. 1143, Or. 83, 552, frgm. 1068, 1; „γάρ" El. 633, Troad. 1168, Iph. T. 945, Ion 1314, Phoen. 524, Iph. A. 116, 620, 625 (quos duos versus vulgo habent suppositicios), 1000, Bacch. 518, 1064, Or. 284, 1332, frgm. 15, 3; 362, 19; 697, 4; 843, 1; 1068, 2; 1074, 1; „ἄρα" („ἄρ᾽") Hel. 746; „ἄν" Iph. T. 811, Hel. 825. His vero negligentius videntur compositi esse tribrachi, quorum primum tempus expressum est vocabulo non tam arcte con-

jungendo cum eo, quod antecedit. In sex quidem fabulis illis, quas jam saepius intelleximus diligentius esse perpolitas, ejus licentiae nullum inveni exemplum, excepto Andromachae, quae transitum quasi facit ad fabulas deterioris notae, versu 1065 „ἀγνοῖς ἐν ἱεροῖς“... Contra plurima suppeditant reliquae. Sic Suppl. 114, El. 332, Herc. f. 451, Ion. 344, 806, 1190, Hel. 1260, Phoen. 1098, Iph. A. 467, 468, 494, 674, 693, Cycl. 163, 210, Bacch. 38, 209, 494, 502, 684, 742, 811, 963, 1119, 1320, 1334, Or. 473, 1149, 1180, 1591, 1643; denique frgm. 81, 1 et 267, 2.

5. Compluribus Euripidis locis ea alterius pedis invenitur solutio, ut priora tribrachi tempora, thesin dico prioremque arsis solutae syllabam, expressa sint vocabulis monosyllabis, tertium incipiat verbum, quod sequitur. Med. 1347 „ἐμοὶ δὲ τὸν ἐμόν“..., quod exemplum non tantum habet offensionis, quantum alia, quum particulam δέ recitatione magis conjungi cum voce antecedente, articulum vero arcte pertinere ad sequentem luce appareat clarius. Eodem fere modo composita solutio Andr. 98 „στερρόν τε τὸν ἐμόν“. Paullo tamen aliter res se habet in Andr. 581, quem plerique editores a Lentingio plane restitutum esse censent scribente „πῶς; ἦ σὺ τὸν ἐμόν“..., libris omittentibus σύ. Namque illud σύ primarium esse ejus enunciati verbum, neque arcte cohaerere cum vocabulo antecedente quis neget? Nihilo tamen minus dubito, num praeferenda sit Nauckii conjectura „πῶς; ἦ τὸν ἡμῶν“, ea maxime permotus causa, quod pronomen, a Lentingio restitutum, optime cum vi quadam h. l. positum videtur in altera sede.

In ceteris deinde fabulis: Hec. 1225 „σώσας τε τὸν ἐμόν“, Suppl. 226 „κοινὰς γὰρ ὁ θεός“, Herc. f. 841 „μάθῃ δὲ τὸν ἐμόν“, 1339 „ἅλις γὰρ ὁ θεός“, 1345 „δεῖται γὰρ ὁ θεός“, Iph. T. 819 „οἶδ᾽· οὐ γὰρ ὁ γάμος“, Ion. 355 „ἀδικεῖ νιν ὁ θεός“, Hel. 903 „μισεῖ γὰρ ὁ θεός“, Phoen. 414 „σοφὸς γὰρ ὁ θεός“, 486 „οἰκεῖν δὲ τὸν ἐμόν“, Iph. A. 657 „θέλω γε· τὸ τελεῖν“, Cycl. 551 „καλόν γε τὸ γέρας“, 585 „ἐγὼ γὰρ ὁ Διός“, Bacch. 300 „ὅταν γὰρ ὁ

ϑεός", Or. 236 „κρεῖσσον δέ τι δοκεῖν", 708 „μισεῖ γάρ ὁ ϑεός." Quae exempla omnia non habere, in quo offendamus, quivis facile intelligit. Liberiore vero modo compositi videntur tribrachi Hec. 10 „πολὺν δὲ σὺν ἐμοί"..., Phoen. 538 „συνδεῖ· τὸ γὰρ ἴσον", Iph. A. 1113 „μόσχοι τε, πρὸ γάμων", 1432 „ἐλϑὼν δὲ σὺν ὅπλοις", Bacch. 303 „στρατὸν γὰρ ἐν ὅπλοις", 1301 „Πενϑεῖ δὲ τί μέρος"... In Hel. 260 „τέρας γὰρ ὁ βίος" jure offenderunt propter sensum Badham., Nauck., alii; nec minus medicinam videtur desiderare Hel. 871 „νόμον δὲ τὸν ἐμόν"..., quum qua ratione explicari possint haec verba vix intelligatur. Quod vero Badham. vocabula τὸν ἐμόν etiam στίχον efficere dicit κακόμετρον, id non recte se habere apparet ex copia satis larga exemplorum supra allatorum.

6. Tribrachyn conformatum vocabuli fine, monosyllabo initioque ejus, quod sequitur· invenimus Heracl. 871 „καὶ παῖδα τὸν ἐμόν"..., Andr. 571 „μέλλουσι σὺν ἐμοί"...; porro Hec. 882, 1207; El. 506; Herc. f. 184, 511, 1243, 1289; Troad. 424; Ion. 365, 983, 1118, 1313; Hel. 711; Phoen. 403, 511, 840; Iph. A. 1420; Cycl. 8, 215, 435; Bacch. 1314, 1338; Or. 634, 1057, 1603, 1651; denique frgm. 609, 1 et 931, 1. Quorum in plerisque locorum pronunciatione quoque vocabulorum impeditur, quominus numerus versus oriatur parum elegans. —

7. Neque desunt apud Euripidem loci, quibus in altera sede tribrachi thesin efficiat vocabuli finis, arsin vocabulum bisyllabum. Quales versus severioris stili tragoediae non praebent, modo excipiamus Andromachen, in qua leguntur ejusmodi solutiones tres: v. 225 „ἐπέσχον, ἵνα σοι"..., 333 „Μενέλαε, φέρε δή", 389 „προὔδωκα; τίνα σῶν". Quibus in locis quis non videat haud quaquam parum venuste incidi versum, quum quae sequantur vocabula arsin alterius pedis solutam, arctissime conjungenda sint cum antecedente? Quod non item ubique in ceteris fabulis servatum mihi videtur. Sunt loci Hec. 1004; El. 504; Herc. f. 935; Troad. 496, 1028; Hel. 59, 392, 1247; Phoen. 432;

Iph. A. 647, 1460; Cycl. 1, 323; Bacch. 278, 961; Or. 396, 471, 495, 889, 915.

8. Thesin alterius pedis soluti expressam vocabulo monosyllabo, arsin bisyllabo invenimus Iph. A. 1148 „πρῶτον μὲν, ἵνα σοι“..., 1219, 1237, 1450; Cycl. 425; Bacch. 830, 831; Or. 483, 490, 647; frgm. 68, 5. — In Alc. 542 eandem solutionis formam admissam esse revera ab Euripide, ut censuit Elmsl., conjiciens h. l. scribendum „αἰσχρόν τι παρὰ κλαίων“ (libri „αἰσχρὸν παρὰ κλαίων“), vix putaverim. Syllabae productae ante consonas κλ plus semel occurrunt apud tragicos.

9. Minus etiam frequenter ea legitur solutio alterius pedis, ut thesis efficiatur vocabuli syllaba finali, alterum tertiumque tribrachi tempus exprimatur duobus monosyllabis. Quae quidem arcte debere inter se cohaerere vix dicatur oportet. Iph. T. 768 „πρὸς Ἄργος ὅ τι τε“...; Ion. 411 „ἔλθοιμεν, ἅ τε νῷν“; Iph. A. 77 „Μενέλαον· ὁ δέ“, 112 „πρὸς Ἄργος· ἃ δέ“; Phoen. 1117 „βλέποντα, τὰ δὲ κρύπτοντα“ [1]); Or. 439 „τί δρῶντες ὅ τι καί.“ Denique Iph. A. 652, quem versum corruptiorem designat Kirchhoff., quam qui corrigi aut possit aut debeat, Hermanni si probetur conjectura, legitur „οὐκ οἶδά σ᾽ ὅ τι φῄς, φίλτατ᾽ οὐκ οἶδ᾽ ὦ πάτερ.“

10. Ex tribus constat vocabulis monosyllabis alter senarii pes solutus Bacch. 515 „στείχοιμ᾽ ἄν· ὅ τι γάρ“..., ut recte scriptum est in codicibus. Quis enim neget, omnino non esse haerendum in tali versu, utpote cujus vocabula arctissime sint juncta?

11. Contra parum est elegans atque quem aures minime gracilem suavemque excipiant, numerus trium versuum, qui in altera sede tribrachos praebent, quorum priora duo tempora expressa sint voce bisyllaba, tertium incipiat

---

[1]) quo loco Kirchhoffius elegantius, opinor, quam verius proposuit legendum esse „βλέποντα, τὰ δ᾽ ἀγρυπνοῦντα“, cui conjecturae versus numeri quidem haud quaquam obstant.

novum vocabulum. Sunt Ion. 931 „τί φῄς; τίνα λόγον“, Iph. A. 1164 „τίκτω δ' ἐπὶ τρισί“, Bacch. 940 „ὅταν παρὰ λόγον.“ Nec tamen adducar, ut ab Euripide eos non profectos esse versus vel corruptos putem. Cfr. Fix. ad Eur. El. 13.

12. Neque aliter comparata est solutio, quae legitur El. 324 „οὐπώποτε χοάς“, qualem neque Aesch., neque Soph. tolerabilem habuerunt. Etsi enim non omni ex parte certa h. l. lectio est, quum in codd. scriptum sit „οὐπώποτ' οὐ χοάς“, tamen illa Piersoni emendatio praestare videtur Porsoni conjecturae parum veri simili „οὔπω χοάς ποτ' οὐδέ“... Haesit sine dubio vir doctus in versus numeris; sed quum non majore licentia, quam quas sub 11. enumeravimus, composita sit solutio, non offendendum in ea censemus.

§. 14.

De tribrachis in tertia sede adhibitis.

1. Quod solutionis genus in primo pede frequentissime, in altero, etsi rarius, octo tamen novemve locis admissum esse vidimus, ut integro formatus sit vocabulo tribrachys, ejus in tertia trimetri sede adhibiti certum exemplum afferri nequit. In El. 14 „οὓς δ' ἐν δόμοις ἔλιπεν ὅτ' εἰς Τροίαν ἔπλει“ satis probabilis est Seidleri conjectura scribendum esse „οὓς δ' ἐν δόμοισιν ἔλιφ' ὅτ' εἰς“... [1]). Dein Iph. T. 385 codicum lectio non minus incerta videtur „οὐκ ἔσθ' ὅπως ἔτεκεν ἂν ἡ Διὸς δάμαρ“ (Seidler. et Hartung. „ὅπως ἂν ἔτεκεν“, numerosiore ordine verborum; Porson. pro „ἔτεκεν ἄν“ scripsit „ἔτικτεν“ eumque secutus Nauck.; Hermannus „ποτ' ἔτεκεν“ [2]); Badham. hunc versum et eos

[1]) saepissime enim perverse expleverunt librarii terminationem verbi apostropho sublatam; de qua re cfr. Fix. ad Eur. El. 13.

[2]) Herm. ad h. l.: „ἔτεκεν ἄν“ non potuit ita scribere Eur., nec

qui sequuntur usque ad v. 391 pro spuriis esse habendos pronuntiat). Denique Iph. A. 630 „καὶ δεῦρο δὴ πατέρα“ numero nescio an jure adscribatur eorum versuum, quos ab Euripide esse profectos negant homines docti.

Ut statim hoc addam, ne uno quidem loco Euripideo invenitur in tertia sede tribrachys, qui contineatur vocabulo plus tribus syllabis habente, qualem solutionem in altero pede saepissime supra vidimus esse admissam.

2. Contra quemadmodum Aesch. et Soph., sic Eur. adamasse videtur eam tertii pedis solutionem, ut primum tribrachi tempus exprimeret vocabuli fine, alterum et tertium prioribus syllabis vocis, quae sequitur. Neque ea tribrachorum forma vacare tragoedias, quas severioris esse artis diximus, vix addatur oportet. Hipp. 464 „πόσους δὲ παισὶ πατέρας“..., 801 „ὄλωλεν ἄλοχος“, 963 „γνησίοισι πολέμιον“, 1081 „τεκόντας ὅσια“; Heracl. 679; Med. 255, 293, 376, 481, 580, 594, 781; Alc. 10, 159, 506; Rhes. 304, 618, 773, 796; Andr. 320, 370, 376, 448, 549, 603, 694, 743, 895, 1058, 1093. Deinde Hec. 327, 391, 669, 765, 790, 1111, 1202, 1220; Suppl. 123, 484, 501, 841, 905, 1057, 1111, 1177; El. 294, 373, 503, 683, 800, 826, 918, 1132, 1261; Herc. f. 6, 54, 164, 288, 331, 480, 515, 545, 592, 717, 1118, 1302, 1384; Troad. 292, 497, 700, 947, 972; Iph. T. 28, 80, 268, 316, 346, 354, 376, 722, 727, 779, 797, 941, 942, 967, 1316, 1326; Ion. 25, 80, 341, 374, 447, 632, 938, 989, 1141, 1291, 1379, 1402, 1431, 1526, 1566; Hel. 66, 130, 256, 399, 430, 596, 720, 773, 794, 852, 1057, 1060, 1070, 1089, 1210, 1222, 1378, 1391, 1589; Phoen. 102, 201, 366, 368, 380, 505, 549, 555, 740, 750, 763, 834, 918, 1002, 1094, 1159, 1262, 1280, 1325, 1363, 1376, 1384, 1446, 1612, 1669 [1]); Iph. A. 89, 497,

---

debebam haec verba afferre in iis, quae de ἄν particula scripsi pg. 52; diceret enim »non peperisset: at peperit tam stultum quid«. Profectum est ἄν a metricis, postquam ποτ᾽ exciderat post ὅπως. Id igitur restitui.“

[1]) de v. 1634: „ἄκλαυστον, ἄταφον“ ..., quem a docto aliquo

713, 999, 1017 (quem versum, ut eos, qui sequuntur usque ad 1023, damnavit Dind.), 1101, 1132, 1140, 1188, 1220, 1229, 1255, 1435, 1439, 1558, 1601; Cycl. 26, 124, 158, 197, 206, 349, 421, 453, 481, 553, 691, 693; Bacch. 10, 41, 44, 249, 276, 446, 642, 648, 855, 964, 1133 [1]), 1246, 1301; Or. 83, 89, 292, 315, 372, 373, 409, 464, 472, 492, 540, 547, 553, 578, 623, 650, 863, 878, 936, 1183. Praeterea frgm. 68, 7; 81, 1; 139, 1; 303, 2; 362, 33; 366, 3; 393, 2; 471, 1; 496, 5; 534, 5; 643, 3; 843, 1; 1068, 2. – Eadem solutionis forma invenitur in nominibus propriis: Heracl. 125, 207, 630, 859; Med. 684; Alc. 24; Andr. 40, 246; Hec. 583, 1134; Troad. 711, 748, 927; Ion. 296; Hel. 391, 529, 1431; Phoen. 466, 1124, 1128, 1607; Iph. A. 538; Cycl. 95; frgm. 799, 1.

Quam si molem tribrachorum respicimus, fieri non posse censemus, quin quivis nobis concedat, causam inde esse petendam videri, quod caesura, *πενθημιμερῆ* quam vocant, maxime frequentata a tragicis, haud quaquam molestas aut inelegantes efficiat in hoc senarii loco solutiones.

3. Thesin tribrachi efficit vocabulum monosyllabum, arsin priores ejus, quod sequitur, syllabae. Qua ratione formatae sunt solutiones: Heracl. 265 „*οὐ βούλομαί σε πολέμιον*“..., 382 „*νέον τι πολεμίων*“; Alc. 785 „*τύχης γὰρ ἀφανές*“, 798 „*μεθορμίει σε πίτυλος*“, 847 „*κύκλον δὲ περιβαλῶ*“ (quibus locis loquitur Hercules, hac in fabula partes agens comicae quasi personae ideoque haud raro liberiore utens versuum compositione); Rhes. 125; Andr. 453. Quibus e versibus denuo illud apparet, quod saepius in tragoediis severioris stili observari posse diximus, vocabula monosyllaba, quae thesin iambi soluti efficiant, tam arcte

---

librario ex Soph. Ant. 29 adscriptum esse omnes nunc consentiunt, cfr. quae supra diximus §. 9, 2.

[1]) „*ἠλάλαζον· ἔφερε*“, quod vidit Duportus esse scribendum pro lectione metro non conveniente, quam codd. praebent, „*ἠλάλαζον· ἀνέφερε δ᾽ ἡ*“... Eleganter, ut solet, Herm. conj. „*ἠλάλαζον· ἄγε, φέρ᾽ ἡ*“...

cohaerere cum antecedentibus, ut tamquam prorsus pertinentia ad ea recitata esse videantur. Non aliter comparata sunt: Hec. 252, 340, 587, 721, 788; Suppl. 556, 586; El. 763; Herc. f. 339, 1087; Troad. 43, 469, 874, 1003; Iph. T. 282, 1045, 1050; Ion. 750, 827, 985, 1046, 1163, 1271, 1273; Hel. 25, 284, 392, 912, 931, 933, 1567; Iph. A. 527, 981, 997, 1013, 1146, 1216, 1269, 1409 (qui versus a Dind., Nauck., aliis pro spurio habetur), 1470; Cycl. 295; Or. 52, 111 (ab Herm. damnatus), 281, 507, 589; frgm. 277, 3; 330, 4; 362, 23; 438, 1; 739, 4; 1068, 3. — Contra majore quadam licentia compositi videntur tribrachi Hec. 993 „ὡς σὲ κρύφιος“; El. 1116 „πόσιν σὸν ἄγριον“; Ion. 426 „τὰς πρὶν ἀναλαβεῖν“; Hel. 584 „ὅθεν σὺ θεοπόνητ᾽ ἔχεις“; Phoen. 983 „τί δὴ τόδ᾽ ἔρυμα“ (ex conj. Musgravii; in codd. „τί δῆτ᾽ ἔρυμα“ vel „ἔρυγμα“); Or. 477 „καὶ σὺ Μενέλεως“, 694 „γὰρ τὰ μεγάλα“, 1629 „ἣν σὺ διολέσαι“).

3. Non minor apud Euripidem est numerus eorum tribrachorum, quorum thesis terminet vocabulum, arsis expressa sit bisyllabo. Qua re quum facile fieri posset, ut senarius in duas partes aequales divideretur, quod auribus esse ingratum nemo non intelligit, enixe id studuisse videntur poetae, ut vocabulum in medio versu collocarent, quod cum sequente arctissimo cohaereret nexu [1]). Quod ut apud Aeschylum et Sophoclem observari licet, ita in Euripidis tragoediis haud neglectum invenitur. Hipp. 476 „ἐρῶσα· θεὸς ἐβουλήθη“; Alc. 137 „δακρυρροοῦσα· τίνα τύχην“, 246 „κἀμέ, δύο κακῶς“; neque aliter in Andr. 362, 455, 1204; Hec. 5, 442, 1201; Suppl. 19, 142, 653, 880; El. 318, 651, 656, 769; Herc. f. 462, 479, 982, 1181; Troad. 498, 650, 662, 773, 1233, 1278; Iph. T. 33, 355, 496, 499, 920, 953, 1085; Ion. 347, 633, 744, 830, 1517; Hel. 473, 581, 751, 831, 843, 951, 1041, 1081, 1239, 1241, 1266; Phoen. 46, 499, 582, 755, 1129, 1389, 1457;

---

1) cfr. Kohlrausch, de diaeresi in medio trimetro iambico apud Soph., dissert. inaug. Gotting. 1838.

Iph. A. 456, 968, 973, 1217; Cycl. 28, 184, 210; Bacch. 262, 937, 1294, 1351, 1355; Or. 8, 41, 135, 368, 422, 702, 882, 1076, 1082, 1227, 1233, 1594, 1616; denique frgm. 345, 1; 534, 7; 628, 6. — Qui accuratius haec omnia respexerit exempla, eum haud fugisse putaverim, vocabula bisyllaba, quae arsin tribrachi efficiant, plerisque locis esse delecta ea, quae cum facilitate quadam et lenitate possint pronuntiari. Quae res haud leviter inservit hujus solutionis insuavitati mitigandae, ne dicam sublevandae.

5. Ut in altera trimetri sede, sic in tertia compluribus locis Euripideis invenitur ea tribrachi forma, ut priora duo tempora vocabulis monosyllabis, tertium initio vocabuli sequentis expressa sint. Qua in solutionis forma nullo modo haerendum, si monosyllaba illa arcte cum vocabulo vel antecedente vel sequente jungenda cumque iis uno, ut ita dicam, tenore sint pronuntianda. Ita Herc. Fur. 506 „*ὡς ἐλπίδας μὲν ὁ χρόνος*“ . . .; Iph. T. 334 „*κομίζομέν νιν. ἑ δ᾽ ἐσιδών*“, 556 „*οὐκ ἔστι· παῖς νιν ὃν ἔτεχ᾽ οὗτος*“; Ion. 1440 „*συγγνώσεται γὰρ ὁ θεός*“; Phoen. 30 „*ἔθηκαν· ἡ δὲ τὸν ἐμόν*“; Iph. A. 641 „*καὶ σγὰρ πατήρ σε· τόδ᾽ ἴσον*“, 931 „*παρέχων, Ἄρη τὸ κατ᾽ ἐμέ*“; Bacch. 45 „*ὃς θεομαχεῖ τὰ κατ᾽ ἐμέ*“; frgm. 509, 2 „*ὀξὺ βλέπει γὰρ ὁ χρόνος.*“

6. Neque ii e contrario desunt apud Euripidem senarii, quorum tertio in loco tribrachi primum tempus formatum sit ultima vocis syllaba, alterum et tertium duobus vocabulis monosyllabis. Ea quoque in solutione valet regula, quam supra observatam esse fere ubique vidimus. In fabulis quidem melioris notae non invenitur hic numerus solutus. Suppl. 433, quem versum codd. Euripidei ita exhibent „*γεγραμμένων δὲ τῶν νόμων ὅ τ᾽ ἀσθενής*“, duobus exprimit Stobaeus, hunc locum afferens (Floril. XXXXIV, 6), sive memoria lapsus, sive alteram revera ejus loci lectionem secutus, quae fortasse jam dudum pervulgata erat [1]);

[1]) nisi malis sumere cum Nauckio, unice genuinam hanc esse traditionem.

quorum alter versus tertii pedis continet solutionem supra descriptam: „καλῶς τεθέντες · ὅ τε γὰρ ἀσθενέστερος." — Deinde El. 242 „ἀδελφὸς ὅ τε θανών"; Herc. f. 534 „διολλύμεσθα · σὺ δέ", 535 „ἥρπασ' ἃ σὲ λέγειν"; Troad. 613 „ὄντα, τὰ δέ"; Iph. T. 20 „σφαγεῖσαν · ὅ τι", 296 „καθήμεθ' · ὁ δέ", 615 „φέροντα, σὺ δέ"; Ion. 259 „ὄνομα τί σε καλεῖν", 1276 „οἶκτος ὁ σός", 1432 „οἷδε · τὸ δέ"; Hel. 717 „λόγοισιν, ὁ δέ", 1199 „φησὶν ὅ τε", 1254 „οὕνεχ' ὅ τι", 1534 „ἱστόν, ὁ δέ"; Iph. A. 685 „μέλαθρα · σὲ δέ", 1014 „ἐλπίς · ὅ τι", 1572 „θῦμα τόδ' ὅ"; Cycl. 252 „ἄντρα τὰ σά"; Or. 73 „τάλαινα, σύ τε", 604 „εἰσὶ τά τε", 1093 „δάμαρτα · τί γάρ", 1327 „ἴσθι · τί δέ"; frgm. 142, 3 „νοσοῦσιν · ὅ σε", 736, 4 „ὦσι · τὸ γάρ"...

7. Minus etiam quum ne parum eleganter versus incideretur metuendum esset, si alterum tribrachi tempus exprimeretur vocabulo monosyllabo, primum terminaret antecedens, tertium novam inciperet vocem, haud ita pauca ejus solutionis exempla suppeditant Euripidis tragoediae. Quid quod ne Hipp. quidem, fabula maxime omnium expers pedum solutorum in trimetris, vacat loco istius modi, v. 420 „ὡς μήποτ' ἄνδρα τὸν ἐμὸν αἰσχύνασ' ἁλῶ"...? — Dein Herc. f. 338 „κρατοῦσι τὸ δ' ὄνομ' ἔσθ' ἡμῶν"...; Troad. 370 „στρατηγὸς ὁ σοφός", 1017 „γαμοῦσι, σὲ δ' ἐπί"; Iph. T. 601 „δίκαιον ἐπ' ὀλέθρῳ", 728 „πάρεισιν · ἃ δ' ἐπί", 1037 „ὄντα τὸ δ' ὅσιον"; Ion. 978 „παῖδα τὸν ἐπί", 1389 „ἱερά, τί ποτε"; Hel. 752 „οὕνεχ' ὁ θεός" (quem versum damnat Cobetus), 952 „τοῦτο τὸ καλόν", 1371 „παρόντα τὸν ἐμόν"; Phoen. 553 „ἔστι τὸ πλέον", 1312 „ὥστε δι' Ἀχέροντος"; Iph. A. 501 „πέπονθα · τὸν ὁμόθεν", 621 „τόνδε τὸν Ἀγαμέμνονος" (qui versus inter spurios vulgo refertur), 982 „νοσοῦσα · σὺ δ' ἄνοσος", 1416 „ἄθρησον, ὁ θάνατος"; Cycl. 126 „φασὶ τὰ κρέα"; Bacch. 333 „ἔστιν ὁ θεός", 454 „γυναῖκας, ἐφ' ὅπερ", 471 „ἐστὶ τίν' ἰδέαν"; Or. 82 „συμφοραῖσι τὸν Ἀγαμέμνονος" (quem in suspicionem vocavit Kirchh.), 266 „τάλαινα, τίν' ἐπικουρίαν", 288 „πατέρα τὸν ἐμόν", 668 „αὐτὸς ὁ θεός", 944 „ἐκεῖνος ὁ

κακός", 1057 „ὁ κακὸς ὁ προδότης"; denique frgm. 133, 2 „δίδασκε τὰ καλά", 238, 1 „μυρίοισι τὰ καλά", 259, 1 „θυμὸς ὁ μέγας", 671, 1 „σῶφρον ἐπ' ἀρετήν."

8. Neque habent, in quo nimis haereamus, tribrachi ita compositi, ut thesis vocabulo monosyllabo, arsis soluta bisyllabo exprimantur, modo cohaereant monosyllaba cum vocabulis antecedentibus. Sic Andr. 921 „ἄντομαί σε Δία"; Troad. 26 „ἐρημία γὰρ πόλιν"; Iph. T. 919 „ἀνέψιός γε, μόνος"; Ion. 950 „ποῦ 'στιν, ἵνα", quae vocabula eodem posita modo legis Hel. 1202; Hel. 1401 „ἐγὼ δὲ διά"; Phoen. 1490 „Ἐτεοκλέης δὲ ποδί"; Iph. A. 1009 „δή νυν, ἵνα"; Cycl. 549 „χάριν δὲ τίνα"; Bacch. 929 „ἐγώ νιν ὑπό"; Or. 240 „βλάβην τιν', ἅλις", 407 „φαντασμάτων δὲ τάδε", 586 „ἀπώλεσάς με· διά", 622 „σοὶ δὲ τάδε"; frgm. 362, 28 „μητέρων δὲ δάκρυ' ὅταν." — Majore quidem licentia formati, nec tamen ita, ut prorsus careant, quo excusentur, sunt tribrachi Phoen. 1699 „τυφλὴν χέρ' ἐπί", quo loco monosyllabum non quidem arcte conjunctum est cum vocabulo antecedente, sed propter apostrophum lenitur solutionis insuavitas; Cycl. 203 „ἄνεχε, πάρεχε, τί τάδε;"..., qualem de industria videtur Eur. composuisse versum, ter diaeresi incisum, quo magis depingeret Cyclopis stuporem et iram.

9. Quinque locis tribrachys in tertia sede formatur tribus monosyllabis, quae arcte cohaerent. El. 391 „ἄξιος γὰρ ὅ τε"; Iph. T. 991 „ἅπερ σύ, σέ τε"; Ion. 268 „Ἐριχθόνιός γε· τὸ δέ"; Bacch. 826 „γένοιτ' ἂν ἃ σύ", 1115 „προσπίτνει νιν· ὁ δέ."

§. 15.

De tribrachis in quarta sede adhibitis.

1. Integro formatur vocabulo tribrachys Med. 505 „δέξαιντό μ' οἴκοις ὧν πατέρα κατέκτανον", quo loco pronuntiatione liquidae ρ excusatur solutio haud ita frequens apud

Aeschylum et Sophoclem (cfr. §. 17, 3.). Compluries eadem pedis quarti soluti forma, neque vero ubique pronuntiatione verborum excusata, invenitur in tragoediis deterioris notae. Sic Iph. T. 566 „*χάριν ἄχαριν ἀπώλετο*“, quem versum nescio an jure tentaverit Elmsl. (in Mus. crit. Cantabrig. VI, 290). Iph. A. 1593 (cujus numeri tam negligenter, ne dicam prave tractati sunt, ut nullo pacto eum ab Euripide esse scriptum persuaderi mihi possit) „*προὔθηκε βωμίαν, ἔλαφον ὀρειδρόμον*“; deinde Cycl. 112 „*οἵ Βρόμιον ἀνήρπασαν*“, 159 „*τοὺς ὄνυχας ἀφίκετο*“, 190 „*οὐ σπάνια τυρεύματα*“, 287 „*καὶ λέγομεν ἐλευθέρως*“, 433 „*τῇ κύλικι λελημμένος*“; Bacch. 731 „*ὦ δρομάδες ἐμαὶ κύνες*“ (quae verba dubitat Nauckius num sana sint), 1147 „*ᾗ δάκρυα νικηφορεῖ*“; Or. 244 „*καὶ χάριτας ἔχων πατρός*“, 487 „*μὴ πρότερον εἶναι θέλειν*“, 671 „*ὦ μέλεος ἐμῶν κακῶν.*“

2. Quam regulam in tribrachis formandis uno vocabulo, eo vero plus tribus syllabis continente, valere apud Aeschylum et Sophoclem, si quando eos admiserint, intelleximus (cfr. §. 5, 1. §. 10, 1.), ut ubique in fine vocabuli, nusquam in ejus initio conspiciatur solutio, eam passim neglexit Euripides. Hec. 727 (in nomine proprio) „*ἐφ᾽ οἶσπερ Ταλθύβιος ἤγγειλέ μοι*“, 1240 „*τἀλλότρια*“; El. 13 et 806 „*Τυνδαρίδα*“; Herc. f. 543 „*ἑπτάπυλον ἔχει κράτος*“; Iph. T. 986 „*ληψόμεθα θεᾶς βρέτας*“ [1]); Ion. 607 „*ἀλλότριον*“; Hel. 1404 „*ἐντάφια*“; Phoen. 79 „*ἑπτάπυλα*“; Iph. A. 49 „*Θεστιάδι*“, 1270 „*βουλόμενον*“ (quem versum aut spurium aut corruptum habet Nauckius); Bacch. 674 „*δεινότερα*“, 1064 „*οὐράνιον*“; Or. 60 „*ἡμέτερον*“, frgm. 78 „*γυμνάσια.*“ — Contra Iph. T. 1371 „*συναποκαμεῖν μέλη*“, Iph. A. 523 „*ὑπολάβοιμ᾽ ἂν λόγον*“, Bacch. 1275 „*ἐγένετο σῷ πόσει*“ vocabulorum initia conformant tribrachos,

---

1) sic cod. *C* et apogrr. Paris.; suo vero jure editores plerique secuti sunt libri *B* scripturam, qua probata versus numeros multo elegantiores fieri apparet: „*ληψόμεσθα θεᾶς βρέτας*“, ut *θεᾶς* per synizesin tamquam monosyllabum pronuntietur.

inusitato prorsus atque haud quaquam eleganti modo Insolentius etiam, nisi omnia me fallunt, scriptum in Ion. 54 „χρυσοφύλακα τοῦ θεοῦ“, quo loco in media voce positus est tribrachys. Neque hunc tamen, neque tres illos locos, utpote fabularum negligentius, quod metrum attinet, scriptarum, esse corrigendos dicere ausim.

3. Adest hac quoque in senarii sede maximus ejus generis tribrachorum numerus, ut thesis terminet vocem, arsis soluta incipiat sequentem. Quae forma tantum abest ut injucunda auribus et ingrata habenda sit, ut exemplis abundent fere severiore quoque arte quae scriptae esse videantur fabulae. Hipp. 1206 „ἀκτὰς ἀποβλέψαντες ἱερὸν εἴδομεν“, 1223 „στόμια πυριγενῆ.“ Sic Heracl. 70, 317, 434, 676, 738, 787, 1034; Med. 75, 224, 479, 508, 572, 579, 597, 783, 796, 960, 1176, 1305, 1322, 1341; Alc. 50, 655; Rhes. 62, 286, 574; Androm. 253, 651, 653, 1056; deinde Hec. 39, 345, 571, 701, 782, 792, 851, 852, 1050, 1145, 1215; Suppl. 108, 415, 529; El. 52, 61, 247, 302, 600, 686, 884, 912; Herc. f. 202, 216, 255, 264, 323, 489, 504, 562, 567, 927, 935, 1159, 1224, 1254, 1291, 1370; Troad. 12, 354, 365, 397, 1151, 1197, 1248, 1281; Iph. T. 107, 255, 275, 323, 338, 390, 745, 750, 764, 788, 791, 812, 818, 918, 949, 977, 1321, 1392, 1452; Ion. 22, 60, 81, 325, 353, 415, 578, 606, 609, 800, 972, 1143, 1163, 1179, 1587; Hel. 65, 144, 161, 267, 312, 388, 397, 408, 465, 494, 570, 776, 825, 871, 885, 907 (quem versum Dindorf. refert inter spurios), 913, 928, 939, 965 [1]), 966, 981, 1010, 1077, 1177, 1234, 1384, 1526, 1536, 1553, 1599, 1602; Phoen. 6, 26, 67, 68, 91, 396, 435, 436, 453, 477, 493, 503, 556, 567, 584, 730, 783, 869, 965, 1102, 1156, 1187, 1205, 1232, 1314, 1316, 1327, 1369, 1371 (versus proscriptus a Valckenaerio et Nauckio, defensus, jure, opinor, a Klotzio), 1410, 1667, 1669, 1686; Iph. A. 465, 520,

---

[1]) „οὔποτ᾽ ἀποδώσεις“, ut recte correxisse videtur Stephanus librorum lectionem „ἀπολέσεις“; Nauck. propos. „ὀφλήσεις.“

626 (qui sine dubio inter spurios est referendus, pariter ac v. 628 „Ἰφιγένεια, μακαρίαν“; v. Kirchhoff. ad v. 615), 659, 947, 1133, 1169, 1242, 1437, 1440; Cycl. 96, 237, 239, 305, 330, 350, 394, 395, 438, 478, 681; Bacch. 12, 33, 37, 55, 181, 202, 240, 307, 320, 447, 463, 495, 508, 691, 700, 709, 736, 747, 831, 930, 1051, 1097, 1104, 1114, 1128, 1210, 1242, 1255, 1273, 1291, 1304, 1349, 1365, 1367; Or. 24, 42, 64, 79, 211, 222, 231, 232, 286, 303, 373, 374, 410, 432, 451, 468, 476, 493, 508, 512, 527, 597, 613, 631, 673, 888, 1044, 1062, 1088, 1156, 1213, 1337, 1366, 1575, 1645. Denique frgm. 4, 1; 163, 1; 230, 1; 257, 5; 267, 1; 284, 21; 353, 2; 494, 1; 594, 1; 627, 1; 660, 5; 695, 1; 961, 1; 989, 1; 1030, 3 et 5. — Praeterea saepissime tribrachi in quarta sede arsin formari prioribus duabus nominum propriorum syllabis non est, quod miremur. Ita in hoc senarii loco collocatum est nomen *Πολυνείκης* Suppl. 15, 144, 402, 928; Phoen. 72, 76, 112, 158, 465, 575, 702, 775, 1123, 1227, 1364, 1397, 1415, 1422, 1443, 1463, 1629, 1697, 1702; *Ἀγαμέμνων* Hec. 553, 784, 895; El. 3; Troad. 44, 249, 358; Iph. T. 11, 561; Iph. A. 431, 633, 828, 950, 961, 1547; Or. 17, 21, 496; *Μενέλεως* Andr. 211, 313, 897, 1049; El. 1041; Troad. 984; Iph. T. 521; Hel. 48, 1208, 1215, 1572; Iph. A. 84; *Διόνυσος* Hipp. 339; Hec. 1267; El. 497; Ion. 1126; Cycl. 139, 204, 415; Bacch. 242, 305, 496, 652; *Ἰοκάστη* Phoen. 444, 691, 987, 1068, 1318, 1352, 1665; *Ἀταλάντη* Suppl. 888; Phoen. 150, 1108, 1153; frgm. 534, 4; *Ἀφροδίτη* Troad. 989; Iph. A. 69; Bacch. 236; frgm. 890, 10; *Ἀχελῷος* Andr. 167; frgm. 753, 1; *Δαναΐδαι* Phoen. 1395; Iph. A. 729; Or. 876; *Κραναΐδαι* Suppl. 713; *Πριαμίδαι* Hec. 1140, 1147; *Διομήδης* Alc. 483; Or. 898; *Καπανεύς* Suppl. 934, 1039, 1097; *Ἀσιάς* Ion. 74, 1586; *Ἰόλεως* Heracl. 793, 936; *Κεκρόπιος* Ion. 936, 1571; *Πελιάς* Med. 9; *Γανυμήδης* Cycl. 585; *Πολύδωρος* Hec. 428; *Πολυμήστωρ* Hec. 771; *Ἐτεοκλῆς* Phoen. 1438; *Ἀερόπη* Or. 18; *Μελάνιππος* frgm. 541, 2; *Πελόπιος* frgm. 519, 1; *Φαέθων* frgm. 781, 47.

4. Pertinet quodam modo ad solutionis formam modo illustratam id genus tribrachorum, quorum thesis expressa sit vocabulo monosyllabo, quod arctissime conjungendum cum antecedente ac fere tamquam ultima ejus syllaba recitandum videatur. Sic Hipp. 932 „οὓς με διαβαλών“; Med. 324 „τῆς τε νεογάμου“ (quibus locis notandum videtur propter liquidam syllabarum νεο —, δια — pronuntiationem solutionem minus etiam offendere); porro Hec. 276, 848, 1114, 1162; El. 12, 645, 1240; Herc. f. 636; 1140; Iph. T. 20, 545, 981; Ion. 596; Hel. 426, 459, 468, 916, 945; Phoen. 56, 568, 1083, 1236, 1245, 1453; Iph. A. 436, 462, 724; Cycl. 219 („μὴ ʼμὲ καταπίῃς“, quo loco pronomen nullo quidem pacto propter sententiam pro enclitico haberi potest, sed propter vocalis ε aphaeresin arctissime conjungendum cum antecedente μή), 684, 694; Bacch. 726, 735, 932, 934; Or. 216, 481, 647, 875, 1191; frgm. 125, 1. — Aliis locis apostropho vocabulum monosyllabum arctius jungitur cum sequente: Ion. 1358 „καὶ τάδ' ἀποδίδωμι“; Hel. 1193 „γὰρ τόδ' ὀνομάζω“; Phoen. 532 „μὴ σύ γ' ἄδικος“; Iph. A. 1027 „σὴν χέρ' ἐπίκουρον“; Cycl. 212 „τὸν Δί' ἀνακεκύφαμεν“; Or. 235 „γὰρ τόδ' ὑγιείας“ . . — His vero negligentiore modo compositos esse tribrachos censemus: El. 1249 „Ἠλέκτραν δὸς ἄλοχον“; Hel. 722 „τὸν σὸν ὑμέναιον“; Iph. A. 658 „καὶ τὰ Μενέλεω“; 1241 „μὲν σύ γ' ἐπίκουρος“; Bacch. 671 „καὶ τὸ βασιλικόν“; Or. 1226 „παῖς σὸς ἐπίκουρος“. Ejusdem vero licentiae exemplum in Rheso quoque admissum esse ut credam nunquam adducar, quum quam diligenter atque anxie hujus fabulae auctor secutus sit, si formam respicimus, regulas observatas a poetis tragoediae principibus plus semel repererimus. Itaque non dubito, v. 848, qui nunc legitur „τῶν σῶν μολόντων ὡς σὺ πολεμίων λέγεις“, designare corruptum, etsi satis levem desidero medelam. Accedit ad scrupulum metricum, ut ita dicam, dubitatio, num paullo perplexior illa et contortior collocatio verborum „ὡς σὺ πολεμίων λέγεις“, ab auctore Rhesi revera profecta esse putanda sit.

5. Arsin tribrachi expressam invenimus vocabulo bisyllabo: Heracl. 162 „ποῖα πεδί' ἀφαιρεθείς“; Andr. 555 „εἰπέ, τίνι δίκῃ“, 1105 „κατευξώμεσθα; τίνος ἥκεις χάριν“; Suppl. 905 „ὄνομα διὰ τέχνης“, 1066 „μῦθον ἐπὶ πολλοὺς ἐρεῖς [1]); El. 361 „ἀντείπητε, παρὰ φίλου“; Herc. f. 220 „πᾶσι διὰ μάχης“; 1003 „ἔγχος ἐπὶ λόφῳ“; 1317 „δεσμοῖσι διὰ τυραννίδος“, 1419 „παῖδας. — ἐμὲ δὲ τίς“; Troad. 758 „πνεῦμα διὰ κενῆς“, 924 „ξεῦγος ὅδε τρισσῶν“ (Wunder, adverss. in Soph. Phil. pg. 40 „τριῶν“), 937 „στέφανον ἐπὶ κάρᾳ“; Iph. T. 260 „εἰσρέοντα διὰ Συμπληγάδων“, 372 „ὄμμα διὰ καλυμμάτων“, 988 „σπέρμα διὰ πόνων“; Ion. 825 „ἐψεύσαθ', ὅδε δ' ἐψεύσατο“, 831 „δῆθεν ὅτε συνήντετο“, 1594 „λαὸς ὄνομ' ἐπώνυμος“; Hel. 138 „τεθνᾶσι· δύο δ' ἐστόν“, 490 „Ζηνὸς ὄνομ' ἔχων“, 613 „σώσασα, πατέρ' ἐς οὐρανόν“, 849 „ἄπαιδα· διὰ δέ“; Phoen. 55 „παιδὶ δύο μέν“, 478 „αὖθις ἀνὰ μέρος“, 486 „οἶκον ἀνὰ μέρος“, 553 „πλέον; ὄνομ' ἔχεις“; Iph. A. 500 „ἦλθον ἀπὸ δεινῶν“, 641 „ἴσον ὑπὲρ ἀμφοῖν“, 656 „οἶκον ἐπὶ τέκνοις“; 689 „τεκόντας, ὅταν ἄλλοις“, 810 „δίκαιον, ἐμὲ λέγειν“, 811 „αὐτὸς ὑπὲρ αὐτοῦ“, 821 „τήνδε τίνα λεύσσω“, 962 „τοὐμὸν ὄνομ' ἐμοῦ“, 1157 „καταλλαχθεῖσα περὶ σέ“, 1175 „παρθενῶνας; ἐπὶ δέ“, 1185 „ἔνθα τίνας εὐχάς“, 1436 „κάκιζε· τάδε δ' ἐμοί“, 1453 „ἐπεκούρησας ὅσον εἶχες“; Bacch. 59 „μητρὸς ἐμά θ' εὑρήματα“, 296 „μεταστήσαντες, ὅτι θεᾷ“, 498 „αὐτὸς ὅταν ἐγώ“, 649 „ἤκουσας ὅτι λύσει“, 757 „σίδηρος· ἐπὶ δέ“, 967 „πᾶσιν. — ἐπὶ τόδ' ἔρχομαι“; Or. 74 „μητρὸς ὅδε φονεύς“ (cujus versus damnati a Kirchhoffio explicationem, nisi fallor, rectissimam dedit Klotz.), 227 „αὖθις ὅταν ἀνῇ“ [2]), 429 „αἷμα κατὰ νόμον“, 895

---

[1]) nisi legendum est h. l. „εἰς πολλούς“, quod restituerunt Porsonus et Herm. Cfr. Pors. ad h. l. Conjecerunt „ἐπὶ πολλῶν“ Reiskius et Valcken. ad Eur. Hipp. 213. Vulgatam defendit Markland.

[2]) ita enim correxit Heathius librorum scripturam „ὅταν μ' ἀνῇ“, quae metro adversatur. Klotzius dubitanter conjecit, ut retineretur μέ, quod per se non male legeretur „αὖθ'· ὅταν μ' ἀνῇ“ ...

„τοιοῦτον· ἐπὶ τόν“, 896 „κήρυκες· ὅδε δ' αὐτοῖς“, 1222 „στείχοντες ἐπὶ τόν“; denique frgm. 642, 3 „ἔλαχε διὰ τό“ et 979, 1 „κλῆρος ἐπὶ τούτῳ ταγείς“. — Spectantes accuratius hos tribrachos vix nos fugit, pleraque vocabula bisyllaba, quae arsin efficiant, ita esse comparata, ut vel liquida profluant pronuntiatione, vel arcte cohaereant, quod attinet ad sensum, cum sequentibus. Qua re fit, ut incisio versus injucunda fere ubique vitetur.

6. Tribrachi tempus primum efficitur fine vocabuli, alterum monosyllabo, tertium incipit vocabulum sequens. Cujus solutionis exemplum praebet etiam fabula severioris stili, Alc. 3 „παῖδα τὸν ἐμόν“, quo loco et ipso quod arcto vocabula inter se cohaerent nexu insuavitas tollitur tribrachi. El. 41 „ἐξήγειρε τὸν Ἀγαμέμνονος“, 335 „ξυρῆκες ὅ τ' ἐκείνου“, 571 „τόνδε τὸν Ἀγαμέμνονος“, 1123 „ἀλλὰ τί μ' ἐκάλεις“; Troad. 1128 „ἐκβέβληκεν ὁ Πελίου“; Iph. T. 1487 „ναυσθλοῦσθε τὸν Ἀγαμέμνονος“; Hel. 1559 „ἀπεῖργεν· ὁ δ' Ἑλένης“; Phoen. 124 „γέραιε, τίς ὀνομάζεται“, 471 „καιρόν· ὁ δ' ἄδικος“, 1647 „μῶρος ὃς ἐπείθου“; Iph. A. 663 „ὤφελ' ὁ Πριάμου“, 1177 „τέκνον, ὁ φυτεύσας“; Bacch. 278 „τἀντίπαλον ὁ Σεμέλης“, 475 „ἐκιβδήλευσας, ἵν' ἀκοῦσαι“; Or. 371 et 923 „παῖδα τὸν Ἀγαμέμνονος“, 463 „ἐξέπλησε, τὸν Ἀγαμέμνονος.“ Denique frgm. 68, 5 „κίνδυνος, ὁ δ' ἀθῷος“, 705, 1 „Λύκιε, τί ποτε“, 1007, 1 „ἐστὶν ἐν ἑκάστῳ.“ Quibus omnibus fere locis articulo interposito arctissimam effici vocabulorum conjunctionem vix est, quod moneam.

7. Idem fieri solet in ea tribrachi forma, ut arsis soluta duobus exprimatur vocabulis monosyllabis. Sic Andr. 75 „γῦπες· ὁ δέ“; El. 355 „λεύσσουσι, τὰ δέ“; Ion. 1132 „ᾤχεθ'· ὁ δέ“; Hel. 87 „Τεῦκρος, ὁ δέ“, 822 „τοὔνομ'· ὅ τι“; Phoen. 1015 „ἕκαστος ὅ τι; Iph. A. 1141 „πεπύσμεθ' ἃ σύ“ [1]); Cycl. 548 „τοὔνομ' ὅ τι“; Bacch. 809 „ὅπλα·

---

[1]) recte enim sic restituisse Erfurdtium (ad Soph. Ai. 190) ver-

σὺ δέ", 1137 „σῶμα, τί μέν"; Or. 305 „οἰχόμεσθα· σὲ γάρ." — E quibus ejus solutionis exemplis satis, opinor, apparet, Kirchhoffii conjecturae proponentis esse legendum fortasse Suppl. 440 „λαμπρός· ὁ δέ γε μὴ θέλων", si metrum respicimus, nihil omnino obstare; quamquam ipse persuasum habeo retineri posse librorum lectionem „λαμπρός ἐσθ', ὁ μὴ θέλων."

8. Rarius inveniuntur apud Eur. in quarta senarii sede tribrachi, quorum thesis expressa sit vocabulo monosyllabo, arsis bisyllabo. Hec. 435 „προσειπεῖν γὰρ σὸν ὄνομ' ἔξεστί μοι" (quo loco Jacobs., Wakefield., Herm. censent scribendum esse „ὄμμ' ἔξεστι", quibus assentitur Wunderus l. l. p. 41); Ion. 733 „καὶ σὺ πατέρ' ἐμόν ποτε"; Iph. A. 1273 „δεῖ νιν ὅσον ἐν σοί, τέκνον"; Cycl. 221 „ἀπολέσαιτ' ἂν ὑπὸ τῶν σχημάτων"; frgm. 362, 36 „καὶ σὲ δύο θ' ὁμοσπόρω". Praeterea hanc solutionis formam conjectura intulit Porson. in Or. 1092 „ἧς γε λέχος ἐπῄνεσα", quo loco particulam omissam in libris melioris notae addunt post λέχος recentiores. Kirchh. scribendum praecepit „ἧς ἐπῄνεσας λέχος" (cfr. autem Klotzii annot. crit. ad Or. 1658), Nauckius „ἧς λέχος σύγ' ᾔνεσας" vel „ἧς σὺ λέχος ἐφήμισας." Nescio cur a Porsoni emendatione verisimillima [1]) discesserint homines docti. Illud vero maxime dubito num ferri possit, quod L. Dindorfius scribendum censuit in Heracl. 838 „ἦν δὲ δύο κελεύσματα", pro librorum lectione „ἦν δὲ τοῦ κελεύσματος", unde sana quidem sententia extundi nequit. Etsi enim concedo, satis leviter mutatis codicum scripturae litteris conjecturam esse factam, tamen in illa ipsa fabula, quae in numero est diligentissime (si metrum respicimus) scriptarum et perpolitarum,

---

sum omnes consentiunt, quem libri exhibent „πέπνυσμ' ἃ σύ γε". Vix enim reperies locum apud tragicos, — certe in trimetris, — quo terminatio — μαι elisa sit ante vocalem brevem. Cfr. Kruegeri gr. Gr. II, §. 12, 4 ann. 1.

[1]) facile enim in codicibus particula ΓΕ ante ΛΕΧΟΣ omitti potuit.

vix admissam esse talem solutionem mihi persuadebitur. Nescio igitur an Kirchhoffio sit assentiendum, nonnulla excidisse post illum versum statuenti, librorum lectionem intactam linquenti.

9. Duobus monosyllabis primaque vocabuli, quod sequitur, syllaba formatum invenimus tribrachyn Or. 720 „ἀποστραφείς με, τὰ δ' Ἀγαμέμνονος“, quo in loco non valde haeremus reputantes, encliticam μέ prorsus pertinere ad vocem, quae antecedit.

10. Tria vocabula monosyllaba, arctissimo quae inter sese cohaereant nexu, efficiunt tribrachyn Hel. 491 „εἴς γάρ γ' ἔτ' κατ' οὐρανόν“ et Or. 81 „λέγοιμ' ἂν ἅ γε παροῦσ' ὁρᾷς.“ Praeterea trusit hanc solutionis formam Nauck. in El. 543, scribens „νῦν τὰ τότ' ἂν ἔχοι φάρη“ pro librorum lectione aperte corrupta „νῦν ταῦτ' ἂν ἔχῃ (ἔχοι al.) φάρη.“ Praeferenda nobis videtur Elmsleyi (ad Med. 326) conjectura „ταὔτ' ἀνὴρ ἔχοι φάρη“, probata etiam a Matthiaeo. Denique Iph. T. 1040 non necessaria videtur Kirchhoffii conjectura „βρέτας, ἐφ' ὅ γε πεπλεύκαμεν“, quum librorum lectio „ἐφ' ᾧ πεπλεύκαμεν“ non habeat, in quo offendamus. Cfr. Kruegeri gr. Gr. I, §. 68, 41, ann. 7; II, §. 68, 41, ann. 9.

11. Nullo pacto ferendam esse solutionem putamus, qualis vulgo legitur in Hel. 700 „πρόσδοτέ τι τῆς ἡδονῆς“, quum parum efficiat elegantes numeros, immo vero rhythmo omnino videatur obstare. Verum vidit Elmsl. (ad Iph. A. 1502) corrigens „προσδοτέα τῆς ἡδονῆς“, quippe qua conjectura non solum metro consulatur, verum etiam removeatur molestum illud τί, quod nimis displicet in lectione vulgata. In ista, quam Elmsleyi emendatione illatam habemus in versum, solutione nihil esse, in quo haereamus, demonstratur exemplis sub 2. hujus paragraphi allatis. Hoc quoque in loco pronuntiatione lenitur injucunditas pedis soluti (nisi omnino solutionem synizesi removeri sumis; cfr. Kruegeri gr. Gr. II, §. 13, 3, ann. 1).

§. 16.

De tribrachis in quinta senarii sede admissis.

1. Id quod supra senariis Aeschyli et Sophoclis confirmatum vidimus, tribrachorum in quinta sede eam potissimum formam frequentatam esse a tragicis, ut arsis soluta cum novo inciperet vocabulo, luculentius etiam probatur Euripidis exemplis. Ut primo enim loco eos afferamus versus, quorum quinta in sede tribrachyn collocatum invenimus, cujus primum tempus complectatur syllaba vocabuli finalis, alterum et tertium expressa sint prioribus vocabuli, quod sequitur, ne fabulae quidem severioris quas dicimus artis prorsus indigent hac solutione. Suppeditat enim duo exempla Androm., v. 444 „*οὔκουν θρασεῖά γ' αὐτὸν ἐλπὶς ἀναμένει*" ..., et 1137 „... *διδόντες ἀναπνοάς*" [1]). — Dein Hec. 1281 „... *λουτρά σ' ἀναμένει*" ...; Herc. fur. 182 „*κάκιστε βασιλέων*" ...; Troad. 1170 „*τῶν δὲ μακάριον*" ...; Ion. 1001 „...*ὄντι νεογόνῳ*"; Hel. 511 *ὄντα βασιλέα*", 888 „*ὄντα διολέσω*", 991 „*θῆλυ τρεπόμενος*", 1036 „*προσπόλοισι βασιλέως*", 1066 „*θανόντας ἐναλίους*", 1546 „*ἀπόντα κενοταφεῖ*"; atque in nomine proprio v. 123 „*δάμαρτι Μενέλεως*"; Phoen. 494 „*οὐχὶ περιπλοκάς*", 509 „... *ὅστις ἀπολέσας*", 1078 „... *ἔχουσι περιβολαί*"; Iph. A. 632 „*τἀμὰ περιβαλῶ*" (qui versus in numero est eorum, quos delendos esse atque Euripidi abjudicandos vidit Matthiae); Cycl. 173 „*Κύκλωπος ἀμαθίαν*", 240 „... *μυλῶνα καταβαλεῖν*", 348 „... *ἀνδρὸς ἀνοσίου*", 677 „... *πῶμα κατέκλυσε*"; Bacch. 752 „*ὥστε πολέμιοι*" (Kirchhoffius conj. „*ὡς δὲ πολέμιοι*"), 1051 „*ὕδασι διάβροχον*", 1247 „... *κἀμὲ παρακαλεῖς*"; Or. 518 „... *γυναῖκας ἀνοσίους*", 1605 „... *ἐστὶ φιλοπάτωρ*" ... Denique frgm.

---

1) Sic Florent. *C*; in ceteris codicibus scripta forma „*ἀμπνοάς*", injuria, opinor, ab omnibus, quantum equidem scio, editoribus praelata alteri scripturae. Cfr. §. 3, 2.

530, 2 „. . . οὐχὶ διαφέρει." — Pronuntiatione vocabulorum plerisque locis, quo minus rhythmum amitteret versus, impeditum esse facile intelligitur, neque est, quod moneam. —

2. Thesis tribrachi efficitur vocabulo monosyllabo, novum incipit cum arsi. Alc. 526 „ἃ μὴ πρόκλαι' ἄκοιτιν, εἰς τόδ' ἀναβαλοῦ . ." (loquitur Hercules, — cfr. §. 14, 3); El. 616 „... δεξιαῖς τε δορυφόρων"; Herc. fur. 76 „... ἐγὼ δὲ διαφέρω", 635 „. . . χρήμασιν δὲ διάφοροι"; Iph. T. 23 „εἰς ἔμ' ἀναφέρων"; Ion. 1541 „. . θεοῦ δὲ λεγόμενος"; Hel. 1054 „. . . πρὸς τὸν ἀνόσιον"; Phoen. 504 „. . . ἡλίου πρὸς ἀνατολάς" [1]); Bacch. 272 et 322 „. . . ὃν σὺ διαγελᾷς", 484 „. . νόμοι δὲ διάφοροι." Praeterea in nominibus propriis Troad. 996 „σοὶ τὰ Μενέλεω", et Iph. T. 985 „. . . καὶ τὰ Πελοπιδῶν."

Etsi vero maxime id genus tribrachorum in quinta sede senarii, ut in ceteris, Euripidi placuisse exemplis modo allatis apparet, ut arsis cum novo incipiat vocabulo, thesis vel fine antecedentis vel monosyllabo exprimatur, ut senarius desinat in quadrisyllabum vocabulum, quarti paeonis aut proceleusmatici mensuram habens (cfr. Seidler, de versibus dochm., excurs., pg. 381), non desunt tamen loci, quibus alia adhibita est forma tribrachorum. Sic

3. Arsis exprimitur voce bisyllaba, thesis ultima ejus, quae antecedit. Iph. A. 1247 „ναί, πρὸς γενείου σ' ἀντόμεσθα δύο φίλω", et 1415 „. . . Δαναΐδαισι διὰ μάχης". Utrumque vocabulum δύο et διά tamquam monosyllabum fere pronuntiari esse solitum equidem persuasum habeo. — Eadem fabula exemplum praebet tribrachi alio etiam modo formati in quinta sede, v. 844 „. . . ἐστὶ τὰ παρὰ σοῦ", cujus generis vix ullum aliud in ceteris tragicorum senariis invenies exemplum. —

4. Thesis formatae vocabulo monosyllabo, arsis bisyl-

---

[1]) sic h. l. codices plerique iique optimae notae; contra pauci recentiores cum Plutarchi (de frat. am. p. 481) et Stobaei (floril. XXXXVII, 3) libris formam exhibent „ἀντολάς".

labo habes exemplum Bacch. 1260 „. . . εἰ δὲ διὰ τέλους“. Nisi vero egregie fallor, idem accidit in hoc versu, quod supra sub 3. diximus de pronuntiatione. —

5. Uno loco invenitur tribrachys in quinta sede integro vocabulo expressus, cujus formae neque Aeschylus neque Sophocles ullum suppeditavere exemplum. Legitur Cycl. 597 „τὸν πατέρα παθεῖν“, quod utpote in fabula satyrica scriptum nullo modo tentandum videtur.

6. Ne quid silentio praetereamus, ultimo loco afferendus videtur Bacch. 1067 qui nunc in plerisque editionibus secundum Reiskii conjecturam ita legitur „τόρνῳ γραφόμενος περιφοράν, ἑλικοδρόμον“, ut tribrachys sit in quinta sede senarii prioribus tribus vocabuli syllabis conformatus. Nescio an quis id satis magnum jam habeat, pravam esse conjecturam, documentum, quod nullo, si quidem recte observavi, alio loco apud tragicos invenitur tribrachi ista ratione formati exemplum; quum vero accedat, quod codicum lectio „ἕλκει δρόμον“ optime explicari potest, Reiskii conjecturam non emendationem, sed depravationem esse scripturae librorum palam profiteri non dubito.

Caput quartum.

§. 17.

Enumeratis jam atque in certos quosdam ordines redactis tribrachis, quotquot in Aeschyli, Sophoclis, Euripidis tragoediarum senariis inveni, in fine hujus partis jam liceat mihi paucis complecti, quaenam potissimum ex observationibus nostris colligenda duxerimus. —

1. Si *numerum* respicimus tribrachorum, quos in trium illorum tragicorum fabulis legimus adhibitos, Aeschylus et Sophocles quantum distent ab Euripide facile intelligitur. Ille enim 123 tribrachos in 4308 septem tragoe-

diarum trimetris admisit iambicis [1]), Sophocles 197 in 7568 senariis, Euripides vero utriusque numerum in solis fabulis Oreste et Phoenissis longe superavit, 378 adhibens in iis tribrachos, in omnium, quas superstites habemus, fabularum trimetris 17825 tribrachos 1700, ut singuli legantur in denis versibus. — Plurimos praebent Or. (223), Bacch. (187), Hel. (164), Phoen. (155), Iph. A. (155), Ion. (132), Iph. T. (107); contra Rhes. 14 tantum, Hippol. et Heracl. 17, Alc. 25, Med. 34 suppeditant tribrachos. —

2. In *prima* senarii sede Aeschylus non nisi tribrachos ex uno qui constent vocabulo adhibuit, nusquam ex duobus tribusve compositos vocabulis. Eum secutus est Euripides in fabulis prioris aetatis. Contra Sophocles atque quo tempore securior metri in fabulis condendis factus esse videtur Euripides, hanc regulam non curantes vario modo conformarunt tribrachos in primo trimetri pede. Cfr. §. 7, 3. 4. 5., et §. 12, 3. 4. 5. 6.

3. In altera, tertia, quarta sede longe frequentissima ea est tribrachi forma, ut thesis exprimatur ultima vocabuli syllaba, arsis soluta prioribus duabus vocabuli, quod sequitur. — Quibus locis thesin efficiunt voces monosyllabae, eas semper posuere poetae in metro tractando accurati ac diligentes, quae arctissime cohaerent cum antecedentibus, ut tamquam unum recitatae esse videantur vocabulum. Quod quidem Sophoclem interdum (in Oed. Col. et compluries in Philoct.), Euripidem posteriore tempore saepissime neglexisse dicendum est.

Multa praeterea, quae alio etiam modo conformata sunt, tribrachorum exempla nihil continere putaverim, in quo offendamus, propter pronuntiationem singularum syllabarum. Persuasum enim mihi est, vocales — ιο, — ια, — εο, quas saepissime in tribrachis junctas videmus, pronun-

1) fragmentorum versibus h. l. in censum non vocatis neque ratione habita solutionum nominum syllabis propriorum conformatarum.

tiatione quasi coalescere atque unius fere instar esse syllabae. Idem accidere censeo in syllabis — ερος, aliis, quae liquida ρ interposita in unam contrahantur quodam modo. Cfr. etiam Wunder., adversaria in Soph. Phil. pg. 32, Fix. ad Eur. El. 13. — Multos igitur tribrachos, ejus modi formatos syllabis, pronuntiatione satis habere excusationis, ne dicam omnino tolli, nemo non videt. —

4. Jure videtur monuisse Wunderus (adverss. in Phil. pg. 34 sqq.), „rarissime quartum trochaeum ita solutum reperiri, ut quod in secunda sede saepius fiat, anapaestus in ejus locum sufficiatur“, neque tamen pro regula, quam tragici secuti sint ubique, habuerim illam observationem [1]). Ut enim concedam, solitos esse veteres tragicos post quartum pedem solutum iambum adhibere, vitare spondeum (id quod inde factum esse puto, ut ne rhythmus iambicus deminueretur verbo collocato ionicum a minore efficiente), tamen omnia esse corrigenda Aeschyli, Sophoclis, Euripidis (in severioris saltem stili quae leguntur fabulis, quarum in numerum refert etiam Suppl., Hec., Troad.) exempla laesae istius regulae vereor ut satis demonstraverit Wunderus. — Multo etiam plura mihi videor invenisse in tragicorum trimetris, quam ille enumeravit, quibus haudquaquam medicina afferri aut potest aut debet, quum aperte non sint corrupta. Apud Aeschylum sex leguntur loci, qui adversentur illi doctrinae, quorum unum (Eum. 450; cfr. §. 5, 2.) satis quidem eleganti neque non verisimili conjectura emendat, alterum (Suppl. 333), propter verborum pronuntiationem non obstare dicit regulae, ceteros, quantum equidem scio, non tangit (Sept. 650, 1022; frgm. 297, 4 et 307, 1). — In Sophoclis, si recte observavi, fabulis exempla inveni Ai. 450 (correctum ab Elmsleyo et Wundero), Ant. 1209, Trach. 743, Phil. 932, frgm. 696, 1. — Euripides denique tot exempla suppeditat violatae illius

---

1) Idem jam tetigit Reisigius, commentt. crit. in Soph. Oed. Col., ad v. 1564, pg. 385.

regulae, ut omnino eam non curasse jure dici queat. Neque putaverim esse operae pretium singulos afferre locos [1]), modo dicam, cà. 120 me reperisse versus, in quibus post pedem quartum solutum duae sequantur syllabae longae.

Quamquam libentissime concedo Wundero, longe eorum plurimos legi in fabulis posterioris temporis, majore cum negligentia in metro tractando scriptis.

5. Omnium rarissime vidimus solutum esse pedem quintum senarii, id quod vitasse poetas apparet ea permotos causa, quod, ut hac solutione deminueretur numerus iambicus, facile fieri potuit. Itaque Aeschylus et Sophocles paucissimis tantum locis admiserunt in hac trimetri sede tribrachyn; ubi admisere, pronuntiatione fere ubique leniendam solutionis insuavitatem curavere; contra Euripides et multo plures et majore licentia conformatos adhibuit, iis quoque locis, quibus verborum sententiae dura talis solutio minime convenit, immo vero omnino obstat.

---

[1]) complures affert Ern. de Leutsch „Grundriss der Metrik", p. 68.

Pars altera.

De dactylorum usu in senariis Aeschyli, Sophoclis, Euripidis.

Caput primum.

De dactylis, qui in Aeschyli dialogorum senariis leguntur.

§. 18.

Constat, rarissime tantum poetas tragicos adhibuisse in dialogis versus ex meris iambis compositos, in primo, tertio, quinto trimetri loco plerumque admisisse spondeos, ut inter centenos versus terni fere reperiantur, in quibus sex sese excipiant puri iambi [1]). Cujus rei recte, nisi fallor, indicat causam Mar. Victorin. (2526) „quod amplior inde fiat versus et par tragicae dignitati"; — quid, quod Terent. Maurus [2]) aliique grammatici usque eo progressi sunt, ut qui istiusmodi legerentur apud tragicos versus, acerbissime eos vituperarent [3]). — Illis potissimum in sedibus trimetri spondeum non modo non habere, in quo

---

[1]) cfr. Schol. ad Hephaest. VI, 14 (Gaisf.).

[2]) Terent. de metris v. 2228 (Gaisf.; 2433 Putsch.):
„Culpatur autem versus in tragoediis
Et rarus intrat ex iambis omnibus."

[3]) cfr. etiam Atil. Fortunat. 2694.

offendamus, verum etiam usitatissimum fuisse, non mirabitur, qui consideraverit, propter arsin in cujusque dipodiae initio altius atque majore quadam vi efferendam in thesi antecedente remitti quodam modo vocem et quiescere, quo queat magis intendi. Qua retardatione fit, ut thesis in his locis („*κατὰ τὰς περιττὰς χώρας*") produci atque longa exprimi syllaba possit, iambico non sublato rhythmo, quum tempus sit irrationale, — quem Graeci nominant *χρόνον ἄλογον*, — non duas moras, sed unam tantum et dimidiam continens [1]). Spondeum tali modo ortum veteres rhythmici dicunt „*πόδα ὄρθιον*" [2]). — Quae quum ita sint, mirum videri nequit, interdum hujus spondei arsin solvi in trimetris: unde dactylus oritur, quem nunc solemus *κύκλιον* vocare [3]), veteres „*χορεῖον ἄλογον ἰαμβοειδῆ*" appellavere [4]). —

Apparet igitur in tragoediae trimetri locis imparibus, qui dicuntur, ferri posse dactylum; sed ne iis quidem omnibus pari modo usitatus est. In tertia enim sede saepissime invenitur, quippe cum qua conjungi soleat *πενθημιμερής*, in prima rarius, in quinta nullo loco, quum ne in fine versus numerus iambicus dissolveretur atque perverteretur maxime poetae videantur cavisse.

His brevissime indicatis, jam quot qualesque dactylos admiserint in senariis dialogorum triumviri illi tragoediae principes videamus. —

---

1) V. Rossbach et Westphal., Metr., III, pg. 140 et 187.

2) cfr. Bacchium, introd. art. mus. p. 25.

3) v. Rossb. et Westph., l. l. III, pg. 10, ann. 8.

4) Aristid. Quint. p. 39 „*εἰσὶ δὲ καὶ ἄλογοι χορεῖοι β'.ἰαμβοειδής, ὅς συνέστηκεν ἐκ μακρᾶς ἄρσεως καὶ δύο θέσεων· καὶ τὸν μὲν ῥυθμὸν ἔοικεν δακτύλῳ· τὰ δὲ τῆς λέξεως μέρη κατὰ τὸν ἀριθμὸν ἰάμβῳ*" (v. de h. l. perplexo Jul. Caes. in „Zeitschr. für Alterth." 1841, No. 5). Cfr. Marc. Capella, p. 197. — Aristox. rhythm. 293 sqq. — Boeckh, de metr. Pind. 41. —

§. 19.

De dactylis in prima senarii sede admissis ab Aeschylo.

Aeschylum quum, qua erat diligentia in metris summa arte tractandis, in prima senarii sede in universum esse vitandum dactylum, quia versus imprimis initium numerose procedere maxime oporteret, haudquaquam fugisset, quod rarissime tantum hanc sibi licentiam sumsit mirandum nobis non accidit. Plerisque, quibus leguntur dactyli, locis efficiuntur nominum syllabis propriorum, quae alio modo versui vix potuerunt inseri.

1. Integro vocabulo conformatum invenimus dactylum tribus locis, quorum duobus nomina eum efficiunt propria. Legitur Choeph. 986 „*Ἥλιος ἄναγνα*“; frgm. 134, 1 „*Ἀντίλοχ᾽, ἀποίμωξον* . . .“; denique Agam. 7 „*ἀστέρας, ὅταν φθίνωσιν, ἀντολάς τε τῶν*“, quem versum nescio an suo jure obelo notaverit Valckenaerius [1]). —

2. Quatuor locis tres priores nominis proprii syllabae conformant dactylum: Prom. 730 („*Κιμμερικόν* . . .“), Sept. 450 („*Ἀρτεμίδος* . . .“), frgm. 29, 1 („*Εὐβοΐδα* ...), 293, 2 („*Αἰθιοπίδος* . . .“). Cfr. Enger. in Mus. Rhen. XI, p. 446.

3. Dactylum duobus formatum vocabulis, in universum ab Aeschylo vitatum, admissum tamen legimus nonnullis locis, ea semper valente regula, ut arctissime monosyllabum cohaereat cum vocabulo, quod sequitur. Sic Sept. 653 „*ὦ θεομανές* . . .; frgm. 250, 2 „*ὦ θάνατε* . . .“, et in nomine proprio Agam. 1312 „*οὐ Σύριον ἀγλάϊσμα* . . .“

Praeterea ex vocabulo monosyllabo et bisyllabo dactylus legitur compositus Choeph. 216 „*καὶ τίνα σύνοισθα* . . .,“

---

[1]) Valcken. ad Eur. Phoen. 506: „adscripserat quis ad hunc versum (Aesch. Agam. 6) „*ἀστέρας*“; hinc orsus, ut suspicor, ineptum nescio quis nobis senarium tornavit.“ —

et frgm. 383, 1 „ἦ βαρὺ φόρημ' ἄνθρωπος εὐτυχῶν ἄφρων“, quem quidem versum, citatum a Stobaeo utpote ab Aeschylo profectum [1]), nescio quo jure damnaverit Hermannus. In solutione enim non haerendum esse apparet ex Choeph. versu, prorsus eadem comparato ratione. —

4. Id vero pro certo contra Blomfieldium contendere ausim, frgm. 124, 1, quem versum ut Aeschyleum in Bekkeri anecdd. pg. 353, 11 ἀμέτρως scriptum legimus „χάλκον ἀθέριτον ἀσπίδος ὑπερτενῆ“, ejus conjectura „χάλκον ἀθέριστον“ tantum abesse ut certam acceperit medelam, ut depravatior etiam evaserit. Quis enim apud Aeschylum perferat talem solutionem numero eleganti et artificioso adversantem quam maxime et repugnantem? —

De frgm. 452, 12 „πάντα δύναται γάρ“ accuratius dicere supersedeo; neque enim ab Aeschylo profectum est (cfr. supra §. 2, 3. et §. 6, 4. ann.).

§. 20.

De dactylis in tertia senarii sede adhibitis.

Ut pauca tantum dactylorum in primo trimetri loco admissorum praesto sunt exempla, ita plurima suppeditant Aeschyli fabulae in tertia sede adhibitorum. Cur in hoc loco minus offensionis habere videatur pes solutus, supra jam indicavimus (§. 18). — Ceterum ne eae quidem solutiones sine summa diligentia tractatae ab Aeschylo, qui ubique conjungat cum iis caesuram πενθημιμερῆ. Qua re fit, ut nusquam legantur in trimetris Aeschyleis dactyli in tertia sede conformati integro vocabulo vel tribus prioribus verbi syllabis quales plus semel Euripides majore negligentia usus videtur admisisse. —

1. Liceat igitur primo loco tractari dactylos [2]) inter

---

1) Stob. floril. IV, 16.

2) h. l. et in iis, quae sequuntur, ubi de dactylis dico, velim intelligantur „χορεῖοι ἄλογοι ἰαμβοειδεῖς“. Itaque dactyli thesis significat ejus syllabam longam, arsis soluta breves.

omnes solutiones adhibitos longe saepissime, ita dico formatos, ut thesis expressa sit vocabuli fine, arsis prioribus duabus syllabis ejus, quod sequitur. Exemplorum suppeditant largam copiam quotquot superstites habentur fabulae Aeschyleae. Sic Prom. 54 „*καὶ δὴ πρόχειρα ψάλια δέρκεσθαι πάρα*“, 210 „. . *πολλῶν ὀνομάτων* . . .“ [1]), 239 „*οἴκτῳ προθέμενος* . . .“, 371 „*ἀπλάτου βέλεσι* ...“, 464 „*μεγίστων διάδοχοι* . . .“, 487 „*αὐτοῖς· ἐνοδίους* . . .“, 709 „*ἀφίξει νομάδας* . . .“, 717 „*ὑβριστὴν ποταμόν* . . .“, 729 „*αὐταῖς στενοπόροις* ...“, 762 „*αὑτοῦ κενοφρόνων* ...“, 788 „*Ἰοῖ πολύδονον* . . .“, 847 „*αὐτῷ στόματι* . . .“, 869 „*Ἄργος βασιλικόν* . . .“. — In Sept. deinde 23 leguntur ejus solutionis exempla, v. 3, 23, 59, 60, 198, 218, 230, 231, 273, 392, 551, 588, 611, 681, 697, 703, 710, 806, 810, 816, 820, 1009, 1010 (namque v. 278 „*στέψω πρὸ ναῶν, πολεμίων ἐσθήματα*“ manifesto ab interpolatore esse additum ne Wellauerus quidem infitiatur). — Duodecim praebent Persae: v. 203, 204, 351, 360, 380, 388, 396, 397, 487, 494, 816, 835. Praeterea v. 693 videtur addendus ad hunc numerum, quo loco legitur „*Πέρσαις νεοχμόν*“, nisi per synizesin syllabas *νεοχ* — pronuntiandas esse *μονοσυλλάβως* censeas. Neque mihi quidem dubium videtur, quin egregie emendaverit Porsonus Suppl. 316 „*Λιβύη μεγίστης ὄνομα γῆς καρπουμένη*“ [2]). Cfr. Herm. ad h. l. V. 225 satis quidem elegans atque ingeniosa est Hermanni conjectura „*ἐχθρῶς ὅμαιμον καταμιαινόντων γένος*“ (Bothius scripserat „*ἐχθρῶν ὅμαιμον καταμιαινόντων γένος*), nec tamen quae prorsus necessaria videatur, quum Medicei lectionem „*ἐχθρῶν ὁμαίμων καὶ μιαινόντων γένος*“ bonum fundere sensum appareat. Denique afferendus est v. 950, quem *ἀμέτρως* exhibet Med. „*ἴσθι μὲν τάδ᾽ ἤδη πόλεμον* . . .“.

---

1) quem versum proscriptum a Schuetzio defendit Bothius rectam, opinor, addens explicationem.

2) Med. „*μέγιστον γῆς*“ omisso vocabulo, quod Turnebus supplevit addito pronomine „*τῆσδε*“, sensum non curans.

Conjecturas ad sanandum hunc locum ab hominibus doctis prolatas omnes enumerare quum longum sit (relego ad Wellaueri annot. crit. ad h. v.), sufficit, opinor, quas Porsonus et G. Hermannus proposuerint emendationes retulisse. Quarum utra praestet equidem discernere non ausim, quum quo arrideat utraque pari praebeat modo. Porsonus scribendum censuit „ἢ 'σται τάδ', ἢ δεῖ πόλεμον αἴρεσθαι νέον“ [1]), quod placuit etiam Elmsleyo (ad Eur. Heracl. 505); Hermannus „εἴ σοι τόδ' ἡδύ, πόλεμον αἴρεσθαι νέον“, lacunam statuens post hunc versum. Neutram vero conjecturam causis ex metro petitis refelli posse nemo non videt. — 15 exempla pedum illo modo solutorum legimus in Agam.: v. 15, 270, 313, 521, 529, 588, 608, 659, 1179, 1264, 1271, 1390, 1392; quibus addantur v. 897 et 898, quos cur uncis incluserit Dindorfius assequi nequeo. — Decem deinde in Choeph.: v. 124, 209, 575, 576, 657, 697, 739, 769, 880, 912; sex in Eumen.: v. 287, 457, 474, 583, 727, 864. — His addendus videtur v. 577, quem a Wieselero (in Philol. VII, 137) felicissime esse emendatum putaverim „ἱκέτης ὅδ' ἀνὴρ καταδραμὼν ἐφέστιος“ (vulgo „καὶ δόμων“, molesta repetitione verbi, quod in fine v. 576 antecedit). — Quibus accedunt septemdecim exempla ex fragmentorum versibus desumta: fragm. 5, 1; 20, 1; 85, 1; 167, 2; 175, 1; 179, 2; 193, 7; 246, 1; 247, 1; 259, 4; 261, 2; 293, 5; 297, 1; 340, 3; 343, 1; 355, 1; 392, 1. —

Praeterea prioribus duabus nominum propriorum syllabis nonnullis Aeschyli locis conformatur arsis soluta dactyli, quos separandos a ceteris duximus. Sic Prom. 18 „Θέμιδος“, 369 „Σικελίας“; Sept. 528 „Διογενοῦς“; Agam. 537 „Πριαμίδαι“, 617 „Μενέλεων“, 1600 „Πελοπίδαις“; frgm. 167, 3 „Ποτνιάδων“. — Denique Prom. 735 et Pers. 249 legitur „Ἀσιάδος“ correpta syllaba prima; quod quum fieri non posse censerent Elmsl. et Blomf. restituerunt formas „Ἀσίδος“, „Ἀσίδα“, quem ad modum Pers. 763 scri-

---

[1]) cfr. Blomfield. in „Edinburgh review“ XXX, p. 320.

ptum invenitur in Med. „Ἀσίδος“. Cfr. Burney et Blomf. ad Pers. 270. —

2. A solutione modo tractata haud multum distat ea dactyli forma, ut thesis expressa sit vocabulo monosyllabo, quippe quod apud Aeschylum ubique arctissime cohaereat cum antecedente. Sic Prom. 1009 „δακὼν δὲ στόμιον ...“, 1027 „θεῶν τις διάδοχος ...“; Sept. 379 „οὐ γὰρ σφάγια ...“, 1047 „τοῦδ᾽ οὐ διατετίμηται“ (quo loco apostropho arcte conjuncta sunt τοῦδε et οὐ); Pers. 382 „πάννυχοι δὴ διάπλοον ...“, 433 „κακῶν δὴ πέλαγος ...“; Suppl. 302 „πρὸς ταῦτ᾽ ἄλοχος ...“, 319 „πάνσοφόν νυν ὄνομα ...“, 439 „ἢ τοῖς πόλεμον ...“; Agam. 341 „μή τις πρότερον ...“, 935 „δοκεῖ σοι Πρίαμος ...“; Choeph. 978 „ξυνώμοσαν μὲν θάνατον ...“; deinde frgm. 156, 1 „θεῶν γὰρ θάνατος ...“, 231, 1 „ξένῳ γε στέφανον ...“. Contra quod legitur frgm. 221, 1 „... δὴ χρὴ θεοφόρων ...“, abhorrens ab observatione nostra, excusatur licentia dramatis satyrici. Σίσυφον enim δραπέτην, cujus ille versus fragmentum est, fabulam habendam esse satyricam, jam Nauckio visum (tragicorum Graec. frgm. pg. 57). Cfr. ejus argumentum apud Pherecyd. in Schol. Hom. Il. Z, 153. —

Praeterea hanc intulit dactyli formam Brunckius in Prom. 766 proponens „οὐ γὰρ θεμιτὸν αὐδᾶσθαι τάδε“ (Med. „οὐ γὰρ ῥητόν ...“), ut evitaretur pleonasmus in verborum conjunctione „ῥητὸν αὐδᾶσθαι.“ Cfr. autem Herm. ad Orph. Argon. 931, et Wellaueri comment. Aesch., p. 6. — Denique Eum. 567 „εἶτ᾽ οὖν διάτορος Τυρσηνική“, quo in versu vocabulum in libris excidisse apparet, si cum Dindorfio lacunam esse statuendam ante „εἶτ᾽ οὖν“ censeamus, eadem evadit solutionis forma, ab Aeschyli usu haudquaquam abhorrens. Illud pro certo dicere posse mihi videor, Hermanno non esse assentiendum, signa lacunae post vocem διάτορος ponenti, quum tribrachi hoc modo formati nusquam alibi inveniatur apud Aeschylum exemplum. Cfr. Enger. in Mus. Rhen. XI, pg. 447. et quae nos diximus §. 4, 1. et §. 5, 1.

3. Haud ita multo secus, atque pedis tertii solutio sub 1. accuratius tractata, videtur comparata ea forma, ut dactyli arsis soluta expressa sit vocabulo bisyllabo, utpote quod Aeschylus maxime studeat conjungere cum sequente.

Cujus solutionis Prom. et Agam. omnino vacant exemplis; Sept. duo praebet, v. 433 „λαμπὰς διὰ χεροῖν . . .“, 513 „ἧσται, διὰ χερός . . .“; Pers. tria: v. 330 „παρόντων δ' ὀλίγ' ἀπαγγέλλω . . .“, 682 „γεραιοὶ, τίνα πόλις . . .“, 793 „ἔλεξας, τίνι τρόπῳ . . .“; Suppl. sex: v. 193 „ἔχουσαι διὰ χερῶν . . .“, 214 „Ἀπόλλω, φυγάδ' ἀπ' οὐρανοῦ . . .“, 390 „φεύγειν κατὰ νόμους . . .“, 475 „τειχέων διὰ μάχης . . .“, 740 „μαχοῦνται περὶ σέθεν . . .“; denique 516 „δαρὸν χρόνον ἐρημώσει . . .“. Quod quidem exemplum quum minime conveniat cum observatione supra facta, nescio an jure Hermannus, qui pronomen quoque desideravit expressum, corruptum habuerit versum. Num conjecturae ab eo propositae „δαρόν σ' ἐξερημώσει . . .“ praeferenda sit emendatio Engeri (in Mus. Rhen. XI, pg. 449) „σός σ' ἐρημώσει . . .“, de ea re equidem judicium ferre non ausim. — In Choeph. duo leguntur ejus modi dactyli, v. 171 „παλαιὰ παρὰ νεωτέρας . . .“, 224 „Ὀρέστην τάδε σ' ἐγώ . . .“ [1]); Eum. suppeditat quinque: v. 8 „Φοίβης δ' ὄνομ' ἔχει . . .“, 64 „προδώσω· διὰ τέλους . . .“, 183 „ἄλγους μέλαν ἀπ' ἀνθρώπων . . .“, 229 „ἔμπας παρὰ Διός . . .“, 892 „Ἀθάνα, τίνα με φῄς . . .“. — Quod conjecit Wieselerus (in Philol. VII, 138), Eum. 802 pro „δαιμόνων“ scribendum esse „διὰ νομῶν“, ut omnino loci sententiae conveniat, vereor. — Denique duo restant: frgm. 297, 5 „λεπάργου· δύο γὰρ . . .“ et 173, 3 „αὐτῷ σκοπὸς ἀεί . . .“, qui locus et ipse, quod dramatis est satyrici (cfr. frgm. 174, et Athen. I, pg. 17, C.), non adversatur iis, quae supra exposuimus. —

4. Duobus expressa est vocabulis monosyllabis dactyli

---

1) Med. „τάδ' ἐγώ σε . . .“, unde illam lectionem elicuerunt Arnaldus, Auratus, alii, a plerisque probatam editoribus; Herm. conj. „γάρ σ' ἐγώ . . .“, Engerus l. l. „τάρ' ἐγώ . . .“.

arsis soluta Eum. 446 „τῇμῇ τὸ σόν ...“; quae quum arctissime cohaereant, non videntur esse offensioni. Idem cadit in frgm. 349, 1 „σί τοί με φυσᾷς, σύ με καταίθειν δοκεῖς“, cujus quidem verba aperte corrupta vix quisquam poterit sanare. Hermanni et Heathii conjecturas affert Nauckius ad h. l.

5. Tribus locis ex vocabulo monosyllabo et bisyllabo compositus est dactylus apud Aeschylum: Pers. 181: „ἐδοξάτην μοι δύο γυναῖκες ...“; Suppl. 241 „.... μὲν δὴ κατὰ νόμους ...“; Choeph. 489 „ἄνες μοι πατέρ᾽ ἐποπτεῦσαι ...“; quarum solutionum quae primo loco allata est, maxime pronuntiatione vocabuli „δύο“ minui atque sublevari videtur. —

6. Quatuor denique praebent Aeschyli tragoediae versus, quorum tertia in sede dactylus formatus est vocabuli fine, monosyllabo, atque priore ejus, quod sequitur, syllaba. Monosyllabum arctissimo cum ceteris conjunctum esse debere nexu, vix est, quod moneamus. Sept. 1029 „ἀδελφὸν τὸν ἐμόν ...“; Agam. 1584 „Θυέστην τὸν ἐμόν ...“; Eum. 232 „ ἀρήξω τὸν ἱκέτην ...“, 586 „ἀμείβου πρὸς ἔπος ...“ (qui quidem paullo liberiore, quam ceteri dactyli, compositus videtur). Cfr. Enger. l. l., pg. 450.

Caput alterum.

De dactylis in Sophoclis senariis adhibitis.

§. 21.

De dactylis in prima sede senarii collocatis.

1. Quae invenimus apud Aeschylum dactylorum, ut ita dicam, genera in prima trimetri sede admissa, eadem praebent Sophoclis fabulae, quamquam majore jam numero neque ubique eadem, qua ille uti solet, diligentia tractata. Integro formatos vocabulo quater adhibuit dactylos in ver-

sus initio Sophocles: Ai. 846 et frgm. 520, 1 „Ἥλιε . . .“; O. C. 1634 „μήποτε . . .“; Phil. 1392 „οὐδέποθ᾽ ἑκόντα . . .“.

2. Quae apud Aeschylum in nominibus tantum propriis, quippe quae alio modo in versum inseri nequeant, admissa est solutio, ut vocis quadrisyllabae initio contineatur dactylus, eam Sophocles in appellativis adhibuit tribus Phil. locis, v. 999 „οὐδέποτε . . .“, 1003 „ξυλλάβετον . . .“, 1420 „ἀθάνατον . . .“. — Praeterea in nominibus propriis Ai. 575 „Εὐρύσακες . . .“; El. 326 „Χρυσόθεμιν . . .“; Phil. 425 „Ἀντίλοχος . . .“. — In O. C. 458 temere conjecit Dindorf. „προστάτισι ταῖς σεμναῖσι . . .“ pro vulgata scriptura „πρὸς ταῖσδε ταῖς σεμναῖσι . . .“ [1]). Etsi enim in Phil. fabula, quam liberius, quod attinet ad metrum, saepius jam vidimus esse scriptam, haudquaquam offendimus in solutione illa ter admissa, in ceteris tamen fabulis prorsus eam non esse tolerandam persuasum habemus. Accedit, quod ex mea sententia nihil habet lectio vulgo data, in quo haereamus. Si vero quis utique Sophoclea arte eam minime esse dignam contenderit, acquiescat in Hermanni conjectura levissima „σὺν προστάταις σεμναῖσι . . .“, adhibens masculino illi defendendo Lobeckii annot. ad Ai. p. 273; Kruegeri gr. Gr. II, §. 22, 6. ann. 5 et §. 57, 1, ann. 3. —

3. Rarissime quos admittit dactylos Aeschylus in prima sede, ex duobus compositos vocabulis, diligentissimeque tractatos (v. §. 2, 3.), Sophocles non adeo parcus in iis reperitur adhibendis. Praeter ceteras fabulas rursum abundat exemplis Phil. — Semel legitur dactylus ita conformatus in Ai., v. 854 „ὦ θάνατε . . .“; semel in El., v. 433 „οὐδ᾽ ὅσιον . . .“; bis in O. R., v. 270 „μήτ᾽ ἄροτον . . .“, 1394 „ὦ Πόλυβε . . .“; semel in O. C., v. 1376 „νῦν τ᾽ ἀνακαλοῦμαι . . .“; semel in Ant., v. 746 „ὦ μιαρόν . . .“, neque pluries in Trach., v. 318 „οὐδ᾽ ὄνομα . . .“. Quinque vero suppeditat Phil. exempla, v. 602 „καὶ νέμεσις . . .“, 665 „ὅς πατέρα . . .“, 797 „ὦ θάνατε . . .“, 936 „ὦ λιμένες . . .“, 950

---

1) Laur. „πρὸς ταῖσι ταῖς . . .“; illud correxit Canterus.

„ἀλλ' ἀπόδος ...". Loco tamen nullo non arctissime cohaeret monosyllabum cum vocabulo, quod sequitur. — Denique frgm. 875, 3 legitur „καὶ πατέρα πάντων ...", quod num omnino sit fragmentum Sophoclis nescio an suo jure dubitet Bernhardy (in hist. litt. Graec. II, pg. 797). —

4. In duorum Phil. versuum initio invenitur dactylus ex vocabulo monosyllabo et bisyllabo compositus, v. 251 „οὐδ' ὄνομ' ἄρ' οὐδέ ..." et 791 „ὦ ξένε Κεφαλλήν ..."; quo utroque in loco non magnopere esse haerendum, quia arctissime conjungenda sunt in versus initio vocabula, quis neget? — Itaque cur vituperet hac de causa Sophoclem Wunderus (l. l. p. 24.), non assequor. —

§. 22.

De dactylis in tertia sede senarii adhibitis.

1. Cujus dactyli formae nullum omnino in Aeschyli trimetris invenimus exemplum, ut incipiat dactylus in tertia sede collocatus vocabulum quadrisyllabum, eam his admisit Sophocles, nec tamen nisi in nominibus propriis, Ai. 340 „ἄμοι τάλαιν'· Εὐρύσακες ..." et Phil. 241 „Ἀχιλλέως, Νεοπτόλεμος ...". —

Nusquam vero in tertio senarii loco dactylum conformavit Sophocles vocabulo trisyllabo.

2. Frequentissime ut apud Aeschylum, legitur in tertia sede dactylus ultima vocabuli syllaba duabusque prioribus ejus, quod sequitur, conformatus. Sic Ai. 6 „ἴχνη τὰ κείνου νεοχάραχθ', ὅπως ἴδῃς", atque eodem modo v. 47, 85, 103, 324, 431, 461, 465, 501, 517, 562, 802, 808, 832, 837, 907, 1064, 1065, 1132, 1133, 1235. — Versum 968 huic numero non addendum censeo, utpote quem, pariter ac duos, qui antecedunt, quum quo loco vulgo legantur ferri non posse primus ostenderit Ern. de Leutsch (in Ephemeridd. Gotting. 1855, pg. 166.), omnino esse habendos pro spuriis demonstret Dindorf. ad h. l. — Deinde El. 281,

393, 535, 568, 708, 737, 819, 1231, 1375; praeterea v. 45, 1111, 1423, quibus locis leguntur nomina propria. — O. R. 257, 560, 612, 636, 641, 687, 754, 825, 938, 955, 959, 967, 1039, 1254, 1276, 1278, 1284, 1285, 1289, 1451, atque bis in nominibus propriis, v. 941 et 972. — Tum O. C. 67, 283, 294, 398, 428, 667, 948, 963, 993, 1003, 1251, 1254, 1312, 1325, 1356, 1406, 1514. Nomen proprium, cujus priores syllabae conformant arsin dactyli solutam, legitur v. 947 („*Ἄρεος*"). Neque dubium, quin Canterus rectissime emendaverit v. 475 „*νεαλοῦς νεοπόκῳ* ..." pro Laur. scriptura „*οἰνεοπόκωι*" (supra scriptum „*οἰοπόκωι*"), quod metri causa intolerabile esse apparet. — V. 1584 „*κεῖνον τὸν ἀεὶ βίοτον ἐξεπίστασο*" absurdum esse nemo non intelligit; quid vero scripserit Sophocles, ne divinari quidem posse mihi videtur. Cfr. Nauckii annot. crit. ad h. l. Porro Ant. 260, 1087, 1172, 1217, 1223, 1303 (in nomine proprio); Trach. 30, 69, 81, 200, 271, 300, 360, 362 (nisi forte quis delendum esse hunc versum assentitur Wundero), 559, 608, 676, 678, 701, 754, 756, 781 [1]), 817, 913, 925, 938, 1058, 1096, 1161. Quod Meinekius (anall. Soph., in edit. Oed. Col., pg. 291) v. 272 pro „*ἀπ' ἄκρας ἧκε πυργώδους* ..." scribendum esse censuit „.. *ἄκρας ἔδικε πυργώδους* ...", vereor ut satis demonstraverit dicens: „pro *ἧκε*, „demisit", fortius verbum requiro, ac quum schol. id per *ἐδίσκευσε* explicet, conjicere possis poetam *ἔδικε* dedisse, quod legit hic fortasse Hesych.: *ἔδικε· ἔβαλεν, ἔρριψεν* ...". — Denique Phil. 64, 133, 134, 312, 436, 600, 751, 768, 777, 819, 867, 920, 923, 932, 952, 1033, 1249, 1263, 1291, 1327, 1328, 1376, 1384, 1435. In v. 222, qui vulgo legitur „*ποίας πάτρας ἂν ὗμας ἢ γένους ποτέ* ...", recte dicit Dindorfius, *ὗμας* esse formam tragicis inauditam omninoque nullo comprobatam exemplo (cfr. Kruegeri gr. Gr. II, §.

---

[1]) quem versum interpolatori deberi censet Meinekius (symb. crit. ad Antig. p. 42); cfr. autem quae contra eum recte, opinor, disputavit L. Spengel in Philol. XXI, 345.

25, 1, ann. 18.), suoque, nisi fallor, jure refutata Triclinii correctione „ποίας πάτρας ἂν ἢ γένους ὑμᾶς ποτὲ ...“, ipse proponit „ποίας ἂν ὑμᾶς πατρίδος ἢ γένους ποτέ“, ut illa ipsa, de qua modo egimus, evadat solutio frequentissima apud Sophoclem. —

Praterea enumeranda sunt tredecim dactylorum in tertia sede exempla e fragmentis Sophocleis petita: frgm. 39, 1; 207, 1; 337, 1; 403, 1; 477, 2; 507, 1; 558, 1; 574, 3; 593, 7; 856, 2; 866, 1; 357, 1; 556, 1, quorum in ultimis duobus collocata sunt nomina propria. —

3. Quam semper legem in solvendo tertio pede, si dactyli thesin expressit vocabulo monosyllabo, observasse videtur Aeschylus, ut eligeret, quod arctissime cohaereret cum vocabulo antecedente, ea tantum abest ut apud Sophoclem valeat, ut totidem fere exempla laesae regulae, quot observatae, inveniantur. Inter haec sunt referéndi versus Ai. 506 „μὲν πατέρα ...“, 1006 „μολεῖν μοι δυνατόν ...“; El. 558 „λέγω σοι· πατέρα ...; O. R. 774 „πατὴρ μὲν Πόλυβος ...“, 942 „ἐπεί νιν θάνατος ...“, 1016 „ἦν σοι Πόλυβος ...“, 1017 „οὐ γὰρ Πόλυβος ...“; Ant. 162 „τὰ μὲν δὴ πόλεως ...“; Trach. 9 „ἦν μοι ποταμός ...“, 1228 „γάρ τοι μεγάλα ...; Phil. 1034 „ἦν σοι πρόφασις ...“; deinde frgm. 33, 1 „ὑφῃρέθη σοι κάλαμος ...“, 358, 1 „.. εἰ μὴ Πολυΐδῳ ...“.

Contra majore videntur compositi licentia dactyli in Ai. 819 „ἐν γῇ πολεμίᾳ ...“, 859 „ὦ γῆς ἱερόν ...“; O. R. 309 „ἢ γῆς φυγάδας ...“, 353 „γῆς τῆσδ' ἀνοσίῳ ...“; O. C. 441 „ἐκ γῆς χρόνιον ...“, 1425 „ὃς σφῷν θάνατον ...“, 1606 ... μὲν Ζεὺς χθόνιος ...“; Trach. 685 „φάρμακον τοῦτ' ἄπυρον ...“; Phil. 10 „ἀεὶ πᾶν στρατόπεδον ...“, 800 „Δημνίῳ τῷδ' ἀνακαλουμένῳ ...“; frgm. 328, 2 „... τὸ ζῆν ἄνοσον ...“, 327, 7 „πένης ὢν ἄνοσος ...“ (quod quidem fragmentum non Sophocli, sed Euripidi esse vindicandum nescio quo jure conjecerit Meinekius).

4. Arsis dactyli soluta duobus efficitur monosyllabis

El. 1291 „... τὰ δ' ἐκχεῖ, τὰ δὲ ...“; O. R. 99 „ποίῳ καθαρμῷ; τίς ὁ τρόπος ...“ (quo in versu cur Wunderus [adverss. in Phil. 30] offendens articulum deleri jusserit, non assequor), 637 „οὐκ εἶ σύ τ' οἴκους, σύ τε ...“; O. C. 388 „ποίοισι τούτοις; τί δὲ τεθέσπισται ...“; Phil. 879 „αὐτὸς ἆρον, σύ με ...“, 1348 „ὦ στυγνὸς αἰὼν, τί με ...“. Addendus Trach. v. 292 „παρόντων, τὰ δὲ πεπυσμένῃ ...“. Rectissime enim sic emendasse Scaligerum (apud Musgravium, exercitt. Eurip., pg. 1.), Laurentiano ἄμετρον praebente lectionem „τῶν δέ ...“ omnes omnino concesserunt homines docti criticae faciendae periti. —

5. Non raro fit apud Sophoclem, ut vox bisyllaba dactyli arsis vicem teneat, quam solutionem si quando adhibuit Aeschylus, ita nobis visus est eam comparasse, ut vocabulum illud bisyllabum arcte conjungendum cum sequentibus curaret. Qua de causa maximam partem praepositiones bisyllabae, quae liquidam praeterea habeant pronuntiationem, hunc obtinent apud Aeschylum locum, quum separari nequeant a substantivis ex iis pendentibus. — Cui observationi nonnulli quidem repugnant versus Sophoclei, plerique favent. Sic Ai. 301 „... ἱπάξας διὰ θυρῶν ...“; El. 1475 „τί λεύσσω; — τίνα φοβῇ ...“; O. R. 10 „φωνεῖν, τίνι τρόπῳ ...“; O. C. 305 „παρέσται· πολὺ γάρ ...“, 1129 „ἄγω διὰ σέ ...“; Ant. 55 „ἀδελφὼ δύο μίαν ...“, 1240 „νεκρὸς περὶ νεκρῷ ...; Trach. 595 „ἤδη· διὰ τάχους ...“, 878 „ὀλεθρία· τίνι τρόπῳ ...“, 1098 „τρίκρανον σκύλακ' ἀπρόσμαχον ...“, 1100 „μήλων φύλακ' ἐπ' ἐσχάτοις ...“ (apostropho arcte juncta); Phil. 117 „ἕρξας δύο φέρῃ ...“, 758 „αὕτη διὰ χρόνου ...“, 817 „ἐάσειν. — ἀπό μ' ὀλεῖς ...“, 1026 „αὐτοῖς, ἐμὲ δέ...“, 1232 „ἔλαβον τάδε τά...“, 1297 „τὰ Τροίας πεδί' ἀποστελῶ ...“, 1332 „τὰ Τροίας πεδί' ἑκών“; frgm. 343, 2 „ἐπ' ὤμων πατέρ' ἔχων ...“, 453, 3 „φλοίσβου μετὰ κοπήν ...“. Minus autem videntur esse numerosi versus, si verba in medio trimetro posuit poeta, qualia Ai. 343 „λεηλατήσει χρόνον; ἐγώ ...“; Ant. 1279 „πρὸ χειρῶν τάδε φέρων ...“; frgm. 264, 2 „ἀν-

τίπλαστον νομὸν ἔχει . . ." [1]). Cfr. Herm. ad Soph. Ai. 336 (343). Wunder., adversaria in Phil. pg. 25 sqq. —

His exemplis accedit, si Nauckii probaverimus conjecturam satis quidem veri similem, Ai. 994 „*ὁδῶν θ' ἁπασῶν ὁδὸς ἀνιάσασα δή*", qua recepta numeros esse multo elegantiores nemo infitiabitur, quam in lectione vulgata „*ὁδὸς θ' ὁδῶν πασῶν ἀνιάσασα δή*" (F. W. Schneidewinus [in Philol. IV, 474] proposuit: „*ὁδός θ' ἁπασῶν οὖν ἀνιάσασα δή*"). — Deinde El. 433 „*οὐδ' ὅσιον ἐχθρᾶς ἀπὸ γυναικός . . .*", quo quidem loco praepositio *ἀπό* a m. rec. in Laur. addita in plerisque legitur apographis. Attamen nescio an non abhorrere videatur a vero, si a Sophocle non *ἀπό*, sed *πρός* h. l. scriptum esse censeatur, id quod dubitanter conjecit Dindorfius ad h. l. Quam quum recipiendam esse praepositionem consenserimus, etsi ad loci sententiam nullum fere intercedit discrimen, id tamen assequimur, ut duae in Electrae fabulae summa arte ac praecipua metri severitate compositae versu vitentur solutiones, eo magis quae nunc sint offensioni, quod utraque efficiat dactylum. Sed ne aliter quidem unius versus pedes solutos invenies in hac tragoedia duos conjunctos, excepto v. 326, in quo tamen alter conformatur nomine proprio *Χρυσόθεμιν.* — Denique in Trach. 549, quem supra jam hominum doctorum conjecturis multifariam esse tentatum intelleximus (cfr. §. 7, 4.), proposuit Campe (in Philol. XXII.) „*θαλάμου μὲν ἄνθος, τότε δ' ὑπεκτρέπειν πόδα*". Dubito equidem de versu manifesto corruptissimo certi quid pronuntiare. —

6. Qua usum fuisse diligentia in tertiae trimetri sedis dactylis formandis vocabulo monosyllabo et bisyllabo Aeschylum intelleximus eandem adhibet Sophocles cujus fabulae suppeditant ejus solutionis exempla quatuor. Legitur O. R. 773 „*λέξοιμ' ἂν ἢ σοὶ διὰ τύχης . . .*";

[1]) ex conjectura certissima, opinor, Ellendti pro scriptura codicis Hesychii, qui hoc fragmentum servavit, „. . . *ἔχει νόμον*", aperte vitiosa. — Porsonus (praef. ad Eur. Hec. XI) „*νόμον ἔχει.*"

Trach. 1131 „τέρας τοι διὰ κακῶν“; Phil. 285 „χρόνος δὴ διὰ χρόνου“, 1013 „ἀλλ' ἡ κακὴ σὴ διὰ μυχῶν“. Quibus locis solutionem tolli fere omnino liquida vocum illarum bisyllabarum pronuntiatione, nemo, opinor, negabit. —

7. Rectissime jam Wunderus perspexit (adverss. in Philoct. pg. 29.), eam solutionis formam, ut vox monosyllaba initium faciat arsis solutae, sequente verbo, quod e pluribus syllabis compositum sit, eo minus habere offensionis, quo arctius vox illa cum sequentibus cohaereat. Quam solutionem, quater tantum adhibitam ab Aeschylo (cfr. §. 20, 6.), adamasse videtur Sophocles, quippe in cujus senariis quindecim ejus inveniantur exempla. Ai. 585 „ὦ δέσποτ' Αἴας, τί ποτε“; O. R. 422 „καταίσθῃ τὸν ὑμέναιον“, 936 „Κορίνθου· τὸ δ' ἔπος“, 1382 „ἅπαντας τὸν ἀσεβῆ“, 1391 „ἰὼ Κιθαιρών, τί μ' ἐδέχου“ (in quo offendit injuria Wunderus l. l.),. 1441 „πατροφόντην, τὸν ἀσεβῆ“; O. C. 284 „ἔλαβες τὸν ἱκέτην“, 470 „ἐνεγκοῦ δι' ὁσίων“, 487 „δέχεσθαι τὸν ἱκέτην“, 1008 „κλέψας τὸν ἱκέτην“; Trach. 412 „δίκαιος; τί ποτε“; Phil. 237 „ὁρμή; τίς ἀνέμων“, 501 „σῶσον, σύ μ' ἐλέησον“, 930 „προστρόπαιον, τὸν ἱκέτην“. Denique frgm. 832, 1 „ἐκκαλύπτων ὁ χρόνος“. —

8. Duobus locis iisque petitis ex fabulis, quas majore licentia, metri si habemus respectum, scriptas esse constat, tertii pedis dactylus ex duobus compositus est vocabulis monosyllabis initioque ejus, quod sequitur: Phil. 767 „ὅταν περ τὸ κακόν“ et O. C. 44 „ἀλλ' ἵλεῳ μὲν τὸν ἱκέτην“ (neque enim umquam, quantum scio, recte emendasse virum doctum, qui Londini a. 1747 edidit fabulas Sophocleas, „τὸν“ pro τένδ', quod in libris est manu scriptis, negavere critici). —

9. Eo usque denique progressus est Sophocles, id quod Aeschylum nusquam ausum esse vidimus, ut tribus efficeret dactylum in tertia sede vocabulis monosyllabis; neque tamen ea spreta conditione, ut arctissime, quae arsin exprimerent solutam, inter sese cohaererent. Cujus formae le-

guntur exempla tria, unum in O. R., v. 768 „εἰρημένʼ ἤ μοι, διʼ ἅ νιν“, alterum Phil. 578 „τί φησιν, ὦ παῖ; τί με“, tertium in eadem fabula, v. 815 „τί παραφρονεῖς αὖ; τί τὸν ἄνω λεύσσεις κύκλον“. —

Caput tertium.

De dactylis in Euripidis senariis adhibitis.

§. 23.

De dactylis in prima trimetri sede adhibitis.

Quanto cunque opere Aeschylum superat Sophocles admittendis in primo senarii loco dactylis modoque liberiore conformandis (in Philocteta certe fabula), ab utroque poeta vix dici potest quantum in hac re distet Euripides. Nam qui rari tantum in illorum fabulis reperiuntur dactylis neque fere nisi uno vocabulo expressi, eos Euripides plurimos adhibuit, octo eorum variis, ut ita dicam, generibus usus. Verum tamen hac quoque in re maxime cavendum, ne severioris stili tragoedias sex confundamus cum ceteris neve nullum inter eas discrimen intercedere putemus. —

1. Integra efficiunt vocabula dactylos in versus initio: Suppl. 93 „μητέρα γεραιὰν βωμίαν ἐφημένην“; El. 15 „ἄρσενα“, 48 „ἄθλιον“, 539 „κερκίδος“, 600 et 1278 „μητέρα“; Herc. fur. 1090 „αἰθέρα“, 1174 „ὕστερος“, 1346 „οὐδενός“; Troad. 415 „μαινάδος“, 425 „κήρυκες“, 510 „μηδένα“, 653 „οἴκοθεν“, 976 „ἤλυθον“ (h. l. codd. optimi „ἦλθον ἐπʼ Ἴδην“ manifesto ἀμέτρως; quod habet Palat. 287 [*B*] „ἦλθον πρὸς Ἴδην“ correctionem esse metri causa factam facile est intellectu; itaque verum vidisse videtur Kirchhoffius, formam illam „ἤλυθον“ h. l. scribens, quam etiam in trimetro non esse prorsus insolitam demonstravit

Elmsl. ad Eur. Med. 1077 [1]); Iph. T. 79, 715, 1173 „μητέρα“, 271 „δέσποτα“, 391 et 588 „οὐδένα“, 752 „μήποτε“, 1085 οὐκέτι“; Ion. 855 „τοὔνομα“, 1147 „οὐρανός“, 1149 „ἥλιος“, 1351 „ἐνθάδε“, 1515 „μητέρα“; Hel. 444 „μηδένα“, 588 et 1100 [2]) „τοὔνομα“, 958 „ἄθλιος“, 1029 „οὔποτε“, 1209 „οἰκτρόταθ᾽ ὑγροῖσιν“, 1264 „ἄξια“, 1445 „ἥξομεν“, 1585 „πόντιε“, 1586 „σώσατε“, 1604 „δείξατε“; Phoen. 576 „ἀσπίδας“, 776 „μήποτε“, 887 „μηδένα“, 984 „πόμπιμος“, 1314 „τοὔνομα“, 1630 „ἐκβάλετ᾽ ἄθαπτον“; Iph. A. 526 „ποικίλος“, 609 „ἐλπίδα“, 634 „ἥκομεν“, 676 „στήσομεν“, 685 et 938 „τοὔνομα“, 723 „ἐνθάδε“, 929 „πεισόμεθ᾽· ὅταν“, 935 „κοὔποτε“, 1128 „σύγχυσιν“, 1132 „τλήμονα“, 1147 „κοὐκέτι“; Cycl. 296 „δύσφορα“ (Kirchhoffius conj. „δύσφροσιν“); Bacch. 293 „αἰθέρος“, 741 „ῥιπτόμεν᾽ ἄνω“, 829 et 1318 „οὐκέτι“, 914 „ἔξιθι“; Or. 7 „ἀέρι“, 52 „ἐλπίδα“, 64 „παρθένος“, 72 „παρθένε“, 87 „ἥκετον“; 128 „εἴδετε“, 280 „σύγγονε“, 291 „μήποτε“, 394 „φειδόμεθ᾽· ὅ“, 502 „μητέρα“, 1119 „εἴσιμεν“, 1145 „μητέρα“ (quem versum temere eliminasse mihi videtur Nauckius), 1189 „συλλάβεθ᾽ ὅμηρον“, 1577 „οὐδέτερ᾽· ἀνάγκη“. Denique frgm. 69, 1 „μητέρα“, 971, 2 „οὐρανόν“, 784, 2 „δένδρεα“ (quamquam hujus loci verba nondum omni ex parte sanata videntur. Dobraeus [adverss. II, pg. 336] proposuit „δένδρων“. Cfr. Nauck. ad h. l.). —

Praeterea addendi sunt versus, quorum nomina propria primum obtineant locum: Hipp. 146; Andr. 656 (damnatus a Nauckio); Herc. fur. 1310; Iph. T. 29, 36, 748, 784; Ion. 12; Phoen. 3, 456, 757, 1588; Iph. A. 434, 1470; Bacch. 15; Or. 1636; frgm. 771, 3 et 888, 2.

---

[1]) injuria, opinor, disputavit contra eum Hermannus in dissert. de Rheso (Opuscc. III, pg. 297 sqq.).

[2]) quem versum, utpote ineptum, ejiciendum esse censuit Nauckius.

2. Minus etiam offensionis habuisse dactylum vocabuli quadrisyllabi initio expressum in principio senarii, ex eo mihi videor jure posse colligere, quod in Rheso quoque fabula, quam elegantissimis ubique et maxime limatis grammatica subtilitate excellere versibus scimus [1]), reperitur exemplum ejus modi solutionis, v. dico 804 („ἡνίοχε"). Neque vacat his dactylis Andr.; legitur enim v. 1157 „ἐξέβαλον", v. 1256 „ἀθάνατον". — Plures etiam in reliquis fabulis: Suppl. 535 „ἡμέτερον" [2]); El. 61 „ἐξέβαλε", 580 „οὐδέποτε", 1090 „τἀλλότρια"; Herc. fur. 345 „τἀλλότρια"; 924 „ἐξέβαλε"; Troad. 351 „εἰσφέρετε"; Iph. T. 696 „κτησάμενος", 986 „οὐράνιον", 1166 „αὐτόματον"; Ion. 1205 „ἀξύνετον"; Hel. 409 „ἐξέπεσον", 719 „αὐτόματα", 908 „τἀλλότρια" [3]), 987 et 1016 „ἀθάνατον", 1536 „πηδάλια"; Phoen. 58 „ὠνόμασε", 368 „γυμνάσια", 545 „κουδέτερον", 747 „ἀμφότερον", 779 „ἐκφέρετε"; Iph. A. 1182 „δεξόμεθα", 1410 „ἐξελογίσω" (qui est in numero eorum, quos damnavere Dindorfius et Nauckius); Cycl. 20 „ἐξέβαλεν", 137 et 162 „ἐκφέρετε", 326 „δαινύμενος", 402 „ἐγκέφαλον", 537 „ἠλίθιος", 560 „ᾠνοχόος", 645 „τυπτόμενος"; Bacch. 8 „τυφόμενα", 9 „ἀθάνατον", 447 „αὐτόματα", 809 „ἐκφέρετε", 861 „δεινότατος", 1267 „λαμπρότερος". Denique frgm. 796, 3 „ἀθάνατον". - Praeterea in nominibus propriis invenitur haec solutio decies in Hipp., nomine Ἱππόλυτος in versuum initio collocato (v. 11, 22, 53, 310, 352, 584, 885, 900, 1162, 1177); semel in Andr. (v. 1266); bis in Hec. (487 et 503); semel in Suppl. (v. 392); semel in Herc. fur. (v. 1272); ter in Troad. (v. 238, 625, 960); ter in Iph. T. (v. 9, 244, 1013); semel in Phoen. (v. 1113); novies in Iph. A. (v. 91, 95, 433, 531, 713, 814, 1114,

---

[1]) cfr. Hermanni elemm. doctr. metr. pg. 124.

[2]) quem quidem versum abjudicandum Euripidi, hoc certe loco esse incommodum, ut 531 quoque usque ad 534 et 536, censet Nauckius; cfr. ejus annot. ad Moschionis frgm. 11 in Tragg. Graec. frgm. pg. 635.

[3]) cfr. §. 13, 5, ann.

1464, 1544); semel in Cycl. (v. 7); semel in Bacch. (v. 340); sexies in Or. (v. 23, 38, 589, 888, 1645, 1650); ter denique in fragmentis (230, 4; 351, 1; 697, 6).

3. Saepissime utitur Euripides in senariorum initio dactylis, quorum longa expressa est vocabulo monosyllabo. Quod quum arcte semper cohaerere in Aeschyli et Sophoclis fabulis cum vocabulo sequente observaverimus, Euripides non paucis locis hanc neglexisse videtur legem. Legitur ea solutio Andr. 169 (ubi sequitur nomen proprium) „*οὐ Πρίαμος*“, 387 „*ὦ μεγάλα*“; Hec. 334 „*ὦ θύγατερ*“ (quo loco duo codices deterioris notae [F et *C*] aliam praebent lectionem „*ὦ τέκνον*“, quae reprobanda videtur, praesertim quum illae eaedem voculae incipiant senarium in vv. 415, 439, 585); praeterea v. 1235 „*οὐχ ὅσιον*“; Suppl. 263 „*ὃς Πέλοπος*“, 1066 „*ὦ θύγατερ*“; El. 493 „*ὦ θύγατερ*“, 506 „*καὶ πατέρα*“; Herc. fur. 88 „*ὦ θύγατερ*“, 1168 „*εἰς πόλεμον*“, 1292 „*αἱ μεταβολαί*“; Troad. 476 „*οὐκ ἀριθμόν*“, 747 „*οὐ σφάγιον*“, 774 „*ἀλλ' ἄγετε*“ (neque enim hanc Dobraei et Hermanni emendationem [1]) veri esse simillimam negari potest; contra quod Nauckius proposuit „*ἄγε δῆτα, φέρετε*“, etsi in tali verborum conjunctione haudquaquam haerendum videtur, quippe quae saepius in poetarum scriptis inveniatur [2]), tamen propter anapaesti illius conformationem displicet, Euripidi quoque non adeo frequentem neque fere nisi in fabulis majore metri licentia scriptis occurentem [cfr. §. 32, 3]). Deinde Troad. 1016 „*ὦ θύγατερ*“, 1186 „*γραῦς ἄπολις*“, 1277 „*ὦ μεγάλα*“, 1285 „*ἀλλ' ἄγετε*“; Iph. T. 477 „*εἰς ἀφανές*“, 499 „*σοὶ δ' ὄνομα*“, 626 „*πῦρ ἱερόν*“, 1037 „*οὐ καθαρόν*“, 1163 „*οὐ καθαρά*“, 1185 „*καὶ πατέρα*“; Ion. 305 „*οὐδ' ἔτεκες*“, 403

---

1) codd. optimi „*ἄγετε, φέρετε, ῥίπτετ', εἰ ῥίπτειν δοκεῖ*“.

2) cfr. e. gr. Hom. Il. *Β*, 331, Od. *θ*, 250; Aesch. Pers. 140; Soph. Trach. 1255; Eur. Cycl. 630; v. Kruegeri gr. Gr. II, §. 54, 4, ann. 3.

„μῶν χρόνιος", 410 „ὦ πότνια", 667 „ἢ θάνατον", 735, 925, 942 „ὦ θύγατερ", 1288 „ἀλλ' ἐγενόμεσθα", 1354 „ὦ μακαρίων", 1419 „οὐ τέλεον", 1425 „ὦ χρόνιον", 1512 „ὦ μεταβαλοῦσα", 1522 „καὶ περικαλύψαι", 1543 „οὔτ' ὄνομα"; Hel. 20 „ὃς δόλιον", 566 „ὦ χρόνιος", 711 „ὦ θύγατερ" [1]), 722 „νῦν ἀνανεοῦμαι", 751 „οὐδ' Ἕλενος", 813 „εἰς ἄπορον", 1092 „ἢ πατρίδα", 1220 „ὦ Πρίαμε", 1679 „τῶν δ' αναριθμήτων"; Phoen. 14 „ἦν χρόνια", 44 „παῖς πατέρα", 356 „καὶ φιλότεκνον", 407 „οὐδ' ὀνομάσαι", 502 „πλὴν ὀνόμασιν", 539 „τῷ πλέονι", 839 „οὓς ἔλαβον", 843 „πρὸς πατέρα", 919 „οὐκ ἔκλυον", 1268 „εἰς θάνατον", 1272 et 1683 „ὦ θύγατερ", 1400 „εἰς δ' ἄπορον", 1403 „ἦν, κάμακος"; Iph. A. 466 „οὐ συνετά", 487 „ἀλλ' ἀπολέσας", 850 „ἀλλ' ἀμελίᾳ", 952 „ἢ Σίπυλος", 1003 „εἴ τ' ἀνικετεύτως", 1115 „τοῖς ὀνόμασιν", 1136 „ὦ πότνια", 1201 „ἢ Μενέλεων", 1218 „μή μ' ἀπολέσῃς", 1269 „οὐ Μενέλεως"; Cycl. 1 „ὦ Βρόμιε", 182 „τὴν προδότιν", 205 „οὐ κρόταλα"; Bacch. 45 „ὃς θεομαχεῖ", 199 „οὐ καταφρονῶ", 253 „οὐκ ἀποτινάξεις", 262 „οὐχ ὑγιές", 286 „καὶ καταγελᾷς", 325 „κοὐ θεομαχήσω", 482 „πᾶς ἀναχορεύει", 692 „αἱ δ' ὑποβαλοῦσαι", 731 „ἡ δ' ἀνεβόησεν", 758 „πῦρ ἔφερον", 976 „καὶ Βρόμιος", 1332 „ἢν Ἄρεος", 1345 „ὄψ' ἐμάθεθ' ἡμᾶς"; Or. 90 et 447 „ὦ μέλεος", 213 „ὦ πότνια", 248 „εἰ δ' ἄλοχον", 361 „καὶ θάνατον", 396 „ἡ σύνεσις", 415 „μὴ θάνατον", 670 „κοὐχ ὑποτρέχων", 681 „τοῖς δεομένοισιν", 721 „φροῦδ'; ἄφιλος", 1029 „ὦ μέλεος", 1032 „εἰς δάκρυα", 1135 „ὧν πατέρας", 1141 „ἀλλ' ἀπολιπών", 1221 „ἢ σανίδα", 1227 „τοῖς δεομένοισι", 1566 „τοὺς διολέσαντες", 1603 „καὶ σφάγια", 1614 „σοὶ σφάγιον". Postremo loco si addideris fragmentorum versus (133,

---

[1]) quorum loco verborum Stob., v. 710—714 afferens (eclogg. phys. I, 7, 6, pg. 241) haec habet „σκέψαι γάρ ...", quae cur Nauckio unice vera sint visa, spreta codicum Euripideorum ad unum omnium lectione, doleo quod causam non attulit. —

2; 158, 1; 268, 3; 362, 1; 364, 30; 386, 1; 736, 4; 821, 1; 879, 3; 960, 2), quantus sit apud Euripidem exemplorum numerus hujus solutionis formae nullo intelliges negotio. Neque quemquam ne fugiat verendum existimo, quam negligenter tractaverit Euripides haud raro, certe in fabulis posterioris aetatis, istam formam, summa ubique diligentia et arte adhibitam ab Aeschylo et Sophocle.

4. Quam Aeschylus prorsus sprevit, Sophocles bis tantum, idque in Philocteta fabula, admisit primi pedis soluti formam, ut dactylus efficiatur vocabulo monosyllabo et bisyllabo, frequenter ea obviam fit in Euripidis tragoediis. Quid quod ne sex quidem illae, quas a ceteris ubique secludendas duximus, omnino vacant istius modi solutione? quid, quod Alcestis, quae inter fabulas est summa metri severitate compositas, versum continet, qualis 802 „*οὐ βίος ἀληθῶς ὁ βίος, ἀλλὰ συμφορά*“, quo loco ne id quidem excusationi est, quod vocabula, quae initium efficiant versus, arcte inter se cohaereant? Sed ne cui suspicio incidat, opus esse corrigi illum versum, tenendum est, Herculem illa pronuntiare verba paullo liberiore utentem metro (cfr. quae monuimus ad §. 14, 3). —

Legitur deinde El. 234 „*οὐχ ἕνα νομίζων*“; Herc. fur. 285 „*μὴ πυρὶ καταξανθέντας*“, 460 „*ἦ πολύ με δόξης*“, 547 „*μή ποτε*“, 590 „*οἳ στάσιν*“, 1129 „*τὴν θεὸν ἐάσας*“; Troad. 368 „*οἳ διὰ μίαν*“, 426 „*οἱ περί*“, 757 „*ὦ νέον*“, 979 „*ἢ γάμον*“; Iph. T. 248 „*οὐδ᾽ ὄνομ᾽ ἀκούσας*“, 480 „*ὡς διὰ μακροῦ*“, 703 „*καὶ δάκρυ᾽ ἀδελφή*“, 1183 „*τὸν μόνον Ὀρέστην*“, 1189 „*τὸν νόμον ἀνάγκη*“; Ion. 247 „*ὦ ξένε*“; Hel. 720 „*οὐκ ἄρα*“, 802 „*οὐδ᾽ ἄρα*“; 962 „*ὦ γέρον*“, 975 „*εἰ δ᾽ ἐμέ*“, 1250 „*ὦ ξένε*“; Phoen. 40 „*ὦ ξένε*“, 1619 „*ἀλλ᾽ ἔτι*“, 1639 „*ὦ πάτερ*“, 1701 „*ὦ φίλα*“; Iph. A. 410 „*οὐκ ἄρα*“, 431 „*ἢ πόθον*“, 463 et 640 „*ὦ πάτερ*“, 633 „*ὦ σέβας*“, 660 „*ὡς πολύν*“ (qui versus suspectus est Nauckio), 735 „*οὐ καλόν*“, 961

„ἀλλ' ὕβριν “ [1]), 1188 „ἀλλ' ἐμέ“, 1270 „οὐδ' ἐπί“ (quem versum in suspicionem vocat Nauckius); Cycl. 354 „Ζεῦ ξένι' ὅρα“, 676 „ὁ ξένος“; Bacch. 352 „οἱ δ' ἀνά“, 474 „οὐ θέμις“, 477 „τὸν θεὸν ὁρᾶν σὺ φῄς“ [2]), 491 „ὡς θρασύς“, 1329 et 1363 „ὦ πάτερ“; Or. 25 „ἢ πόσιν“, 27 „οὐ καλόν“, 47 „μὴ πυρί“, 113 „καὶ λαβέ“, 126 „ὦ φύσις“, 211 „ὦ φίλον“, 247 „εἰ μόνος“, 391 „ὦ παρά“, 423 „ὡς ταχύ“, 424 „οὐ σοφός“, 544 „ὦ γέρον“, 674 „ὦ πατρός“, 864 „ἢ διά“, 1085 „ἦ πολύ [3]), 1134 „νῦν δ' ὑπέρ“, 1173 „εἴ ποθεν“, 1231 „ὦ πάτερ“, 1237 „σοὶ πάτερ“. Denique frgm. 129, 1 „ὦ ξένε“, 488, 1 „κοὐκ ἐμός“, 781, 45 „ἀλλ' ἔσιθ' ἐς“, 912, 1 et 1050, 1 „ἡ φύσις“. Frgm. 1117, 46 „ἐκ Διός“ in censum vocare supersedeo, ut pote quod fragmentum Byzantinae videatur aetati, nullo modo Euripidi tribuendum. Cfr. Nauck. in Tragg. Graec. frgm. pg. 554. —

5. Usque eo progressus est Euripides licentiae, ut primi pedis dactylum efficeret duobus vocabulis monosyllabis et initio ejus, quod sequitur. Herc. fur. 454 „ὦ τέκν' ἀγόμεσθα“; Ion. 365 „πῶς ὁ θεός“, 825 „κᾆθ' ὁ θεός“, 1519 „καὶ τὸ γένος“; Hel. 390 „πρὶν τὸν ἐμόν“; Phoen. 398 „οὐδ' ὁ χρόνος“; Iph. A. 541 „ὡς ἐπ' ἐλαχίστοις“, 694 „ἀλλ' ὁ νόμος“, 734 „οὐχ ὁ νόμος“; Bacch. 299 „καὶ τὸ μανιῶδες“, 310 „μὴ τὸ κράτος“, 314 „οὐχ ὁ Διονύσος“, 1128 „ἀλλ' ὁ θεός“, 1249 „ὡς ὁ θεός“; Or.

---

[1]) h. v. in numero est eorum, quos spurios dicit Dindorfius, ab homine scriptos „Εὐριπίδου πλεῖν ἢ σταδίου λαλιστέρῳ“ (Dind. ad Eur. Iph. A. 942).

[2]) sic enim recte conjecisse censeo Kirchhoffium, suo jure veritum, ne particula γάρ in codicibus addita post θεόν profecta sit a metrico versum mancum utcunque explente; est enim pronomen σύ in cod. *B* a m. altera suprascriptum.

[3]) sic B, c et decem alii; in aliis codicibus non deterioris notae scriptum „ἤπου“; utrum praeferendum sit, ambigo.

492 „εἰ τὰ καλά“, 550 „καὶ καθ᾽ ὁδόν“; denique frgm. 145, 1 „μὴ τὸν ἐμόν“ et 85, 1 „ἢ τί πλέον“ (nisi potius h. l. cum Valckenaerio scribendum est „τί πλεῖον“. Nam si versus scriptura esset genuina, quam habet Stobaeus [florileg. 79, 23] Euripides omisisset, quod eum alias ubique observasse ex locis supra allatis intelligitur, alterum vocabulum monosyllabum vel apostropho vel sententiae nexu arcte conjungere cum tertio, ut unius fere instar sit utrumque). —

6. Quod modo monuimus, Euripides haudquaquam neglexit, si quando tribus voculis monosyllabis conformavit primum senarii pedem. Qua solutione quod vacant omnino fabulae severioris stili, non miraberis. Etiam Suppl. 840 ubi in codice optimo (B) correctum est a sec. m. „εἰς τὰ σά γε μύθους“ (a pr. m. „εἰς τὰ σὰ μύθους“), quin felicissime emendaverit Elmsl. „εἴασα ...“, leviter litteris mutatis et loci sententia consulens et removens solutionem, non dubitamus. Contra Ion. 1535 „μὴ σύ γε· παρ᾽ ἡμῶν“ nullo pacto tentandus, nec magis Iph. A. 498 „εἰ δέ τι κόρης“, 941 „οὐ δι᾽ ἐμ᾽ ὀλεῖται“, 1441 „οὐ σύ γε· σέσωσμαι“, 1454 „ἔσθ᾽ ὅ τι κατ᾽ Ἄργος“, 1623 „χρὴ δέ σε λαβοῦσαν“; Cycl. 9 „οὐ μὰ Δί᾽, ἐπεί“, 555 et 586 „ναὶ μὰ Δί᾽“; Bacch. 492 „εἴφ᾽ ὅ τι“ et 951 „μὴ σύ γε ...“.

Qua satis larga exemplorum copia comprobatur, Or. 1106 „πῶς; τὸ γάρ“, quem Kirchhoffius vix sanum designat, caussis e metro petitis tentari non posse, quippe qui ceteris nullatenus negligentius est conformatus. —

7. Negligentiore modo compositi sunt versus, in quorum initio dactylus efficiatur vocabulo bisyllabo et monosyllabo. Quod quidem si tam arcte cum antecedente cohaereat, ut fere unius instar pronuntientur, non absque omni excusatione esse videntur versus, ut Iph. A. 308 „οὐδέ γε φέρειν σε πᾶσιν Ἕλλησιν κακά“, 1142 „αὐτὸ

δέ"; Or. 99 „ὄψε γε" [1]). Multo vero minus numerosa est versus compositio Cycl. 270 „αὐτὸς ἔχ᾽· ἔγωγε", quippe quo loco arctius apostropho juncta sint vocabulum alterum et tertium.

8. Omnium vero cur negligentissime conformatos habeamus dactylos, quos efficiunt vocabulum bisyllabum primaque sequentis syllaba, ipsa rhythmorum ratio docet. Qualis solutio quod in Bacch. 285 „ὥστε διά" et Or. 2 „οὐδὲ πάθος", usu venit, id nimis mirum esse nequit, quum qua metri incuria composuerit has fabulas Euripides, saepius jam notaverimus.

§. 24.

De dactylis in tertia senarii sede adhibitis.

1. Quales dactylos in tertio trimetri loco prorsus vitat Aeschylus, bis tantum admittit Sophocles nominum forma propriorum coactus, uno dico expressos vocabulo, tales et multo plures neque in nominibus tantum propriis reperiuntur apud Euripidem, sed, id quod monere vix pretium est operae, in solis fabulis deterioris stili. Ionis quidem in v. 60 „οἳ γῆν ἔχουσ᾽ Εὐβοΐδα" [2]) facile tollitur solutio, modo restituendam esse assentiamur Matthiaeo formam „Εὐβοῖδα", poetis non prorsus inusitatam. — Neque Hel. v. 1016 „ἀθάνατον εἰς ἀθάνατον" afferre ausim tamquam specimen et documentum istius modi solutionis, utpote quem quis objiciat jure Euripidi esse abjudicatum a Dindorfio, Nauckio, Badhamio. — Contra nullo modo tentari posse mihi videntur Hel. 767 „τὰ Ναυπλίου τ᾽ Εὐβοϊκά", Iph. A. 846 „ἄμφω γὰρ οὐ ψευδόμεθα", 1563 „στὰς δ᾽ ἐν μέσῳ Ταλθύβιος"; Bacch. 278 „ὃς δ᾽ ἦλθεν ἐπὶ τἀντίπαλον"

---

1) cfr. Elmsl., review of Markland's Supplices ad v. 158.

2) quod hemistichium etiam in Rhadamantho fabula Euripidea occurrisse refert Strab. VIII, pg. 356. Cfr. Nauck, tragg. Graec. frgm. 659.

(sive in hac codicum lectione esse acquiescendum statuis, sive consentiendum cum Badhamio conjiciente [in praef. ad edit. Iph. T. et Hel., pg. 21] „ὁ δ' ἡδονὴν ἀντίπαλον") et v. 1342 „ἔγνωθ', ὅτ' οὐκ ἠθέλετε"; frgm. 388, 2 „ῥανῷ πέδοι δ' ἐγκέφαλον". — Majore etiam negligentia compositos esse numeros dicendum est, ubi in medio vocabulo dactylus sit expressus, ut Hel. 753 „τί δῆτα μαντευόμεθα" et Or. 444 „κύκλῳ γὰρ εἱλισσόμεθα". —

2. Accedimus jam ad solutionis formam omnium longe usitatissimam, dactylos intelligo in tertia sede ex ultima vocabuli syllaba initioque sequentis compositos. Quorum tanta reperitur copia in fabulis Euripideis, ut in singulis quadragenae fere ejusmodi solutiones peraeque duci possint. Offensionis prorsus habitos esse expertes in tertia sede dactylos illa ratione formatos, id videtur documento, quod eorum abunde est etiam fabulis, ceteroquin quae maxime vitent ac respuant solutiones. Legitur enim, dactylis, qui conformentur syllabis nominum propriorum, in censum non vocatis, ista tertii pedis solutio novies decies in Hipp. (v. 43, 73, 77, 267, 576, 614, 778, 795, 864, 922, 938, 951, 1056, 1073, 1165, 1201, 1223, 1435, 1438); septies decies in Heracl. (v. 11, 34, 54, 58, 146, 211, 275, 396, 399, 406, 419, 655, 673, 689, 819, 832, 932); quinquies et vicies in Med. (v. 2, 18, 21, 51, 262 [neque enim cur Nauckius uncis incluserit hunc versum, assequor. V. annot. Elmsl.], 455, 502, 509, 554, 557, 607, 706, 957, 1003, 1037, 1065, 1121, 1158, 1160, 1192, 1322, 1348, 1355, 1379, 1380); duodecies in Alc. (v. 552, 642, 671, 675, 684, 687, 694, 754, 851, 940, 1055, 1072); semel et tricies in Rhes. (v. 78, 81, 82, 88, 103, 113, 116, 117, 140, 166, 167, 212, 283, 286, 321, 330, 398, 430, 444, 488, 526, 587, 590, 607, 617, 629, 671, 674, 809, 811, 852); undetricies in Andr. (v. 84, 170, 189, 215, 253, 316, 324, 345, 348, 350, 352, 428, 446, 584, 613, 623, 625, 630, 718, 923, 945, 982, 1002, 1005, 1096, 1142, 1143, 1157, 1248); — deinde tricies in Hec. (v. 305, 314, 336, 381, 382, 396, 426, 488, 498, 518,

544, 552, 585, 593, 599, 602, 660, 737, 741, 772, 806, 858, 866, 872, 876, 882, 1142, 1271, 1279, 1281); quadragesies quinquies in Suppl. (v. 2, 15, 39, 102, 110, 117, 119, 121, 160, 169, 201, 203, 219, 235, 238, 342, 382, 406, 481, 485, 507, 508, 661, 665, 672, 678, 682, 687, 703, 715, 722, 848, 866, 898, 931, 1052, 1090, 1096, 1100, 1192, 1202, 1205, 1212, 1223; quibus adde v. 1196) [1]); tricies bis in El. (v. 20, 52, 56, 61, 86, 306, 309, 389, 393, 412, 563, 603, 614, 625, 760, 775, 794, 811, 818, 852, 887, 898, 942, 971, 978, 1006, 1028, 1047, 1071, 1073, 1102, 1140); quadragies quinquies in Herc. fur. (v. 3, 56, 140, 145, 198, 214, 301, 304, 307, 318, 326, 327, 334, 344, 458, 489, 495, 523, 547; 549, 571, 581, 598, 619, 830, 834, 837, 839, 842, 853, 854, 958, 968, 986, 999, 1128, 1144, 1179, 1233, 1259, 1269, 1273, 1282, 1334, 1351); tricies quinquies in Troad. (v. 6, 42, 44, 58, 71, 88, 96, 252, 259, 274, 351, 361, 376, 388, 389, 400, 401, 419, 462, 495, 499, 507, 615, 668 [quem versum perperam in suspicionem vocasse videntur Dindorfius eumque secutus Nauckius], 751, 866, 886, 915, 919, 965, 990, 1040, 1139, 1141, 1243); quadragies sexies in Iph. T. (v. 5, 7, 12, 79, 107, 298, 300, 307, 320, 383, 386, 468, 495, 508, 511, 527, 563, 606, 663, 776, 796, 799, 833, 903, 918, 929, 949, 969, 976, 1003, 1020, 1021, 1027 [cfr. ad §. 14, 1], 1030, 1042, 1043, 1162, 1181, 1200 [2]), 1328, 1346, 1365, 1387, 1392, 1394, 1455) Reiskii conjectura scribentis v. 343 „ἡμεῖς ὅσσα.“ (codd. „οἶα“) cur rejicienda sit, luculenter ostendit Badham. ad h. l.]; bis et quadragies in Ione (v. 27, 46, 64, 76, 245, 250, 254, 274, 278, 334, 366, 443, 595, 598, 669, 743, 756, 805, 829, 926, 940, 959, 970, 979, 993, 1000, 1012, 1024, 1119, 1133, 1143, 1152, 1201, 1323, 1331, 1339, 1384, 1403, 1423, 1434, 1549, 1578);

---

1) recte enim Elmsl. h. l. scribendum censuit „...σφάγια χρὴ...“ pro codicum lectione „χρὴ σφάγια.“

2) In vocabulo enim „κηλίς“ alteram produci syllabam docent Drac. 15, 24 et aliis locis, Etymol. Magn. 984, 3 (Sylb.); cfr. Spitzner, prosod. Graec. §. 36, 2, d, ann.

duodesexagies in Hel. (v. 2, 3, 26, 55, 73, 77, 110, 149, 283, 390, 394, 456, 458, 467, 480, 549, 570, 594, 616, 713, 724, 754, 755, 774, 791, 798, 811, 854, 876, 948, 955, 972, 990, 1021, 1025, 1088, 1103, 1173, 1183, 1186, 1189, 1213, 1238, 1245, 1269, 1272, 1278, 1397, 1434, 1436, 1547, 1551, 1556, 1564, 1575, 1648, 1673, 1685); quinquagies sexies in Phoen. (v. 18, 32, 65, 276, 369, 381, 388, 393, 394, 398, 412, 413, 477, 488, 493, 517, 522, 538, 539, 543, 554, 565, 569, 584, 718, 734, 751, 848, 856, 857, 934, 941, 969, 996, 1074, 1116, 1122, 1125, 1168, 1220, 1253, 1254, 1321, 1326, 1369, 1370 [quem versum nescio an jure proscripserit Valckenaerius], 1381, 1385, 1393, 1415, 1459, 1470, 1601, 1610, 1625, 1634)] ter et vicies in Iph. Aul. (v. 68, 81, 100, 108, 439, 495, 682, 687, 697. 832 [de v. 932 cfr. §. 13, 1.], 934, 964, 1011, 1142, 1171, 1179, 1180, 1193, 1204, 1230, 1431, 1449, 1588); vicies quinquies in Cycl. (v. 19, 31. 156, 167, 175, 180, 227, 241, 329, 331, 378, 386, 390, 401, 449, 473, 587, 592, 604, 625, 631, 635, 641, 673, 703); quater et quadragies in Bacch. (v. 38, 54 [quem versum Bernhardy a fabulae actore aliquo posteriori tempore esse additum censuit], 183, 185, 236, 258, 273, 302, 310, 320, 338, 445, 456, 487, 647, 668, 692, 705, 711, 719, 725, 739, 742, 745, 747, 755, 759, 767, 782, 805, 917, 951, 1026, 1067, 1070, 1102, 1234, 1319, 1326, 1330, 1331, 1335, 1356, 1366); quinquagies septies in Or. (v. 13, 14, 25, 86, 103, 220, 258, 261, 270, 274, 302, 310, 367, 374 [1]), 378, 383, 387, 393, 414, 448, 473, 475, 485, 493, 502, 506 [ex emendatione Nauckii satis veri simili], 510, 523, 567, 582, 585, 587, 588, 590, 595, 611, 625, 629, 685, 723, 845, 867, 884, 897, 906, 917, 921, 1046, 1170, 1173, 1176, 1186, 1332, 1583, 1603, 1624, 1645). Denique afferendi sunt versus septuaginta e fragmentis petiti: frgm. 16, 1; 39, 1; 51, 2; 127, 1; 132, 7; 167, 1; 170, 1; 176, 3; 179, 2; 185, 3; 187, 2; 188, 2;

---

1) nisi h. l. aliorum codicum nec non deteriorum lectionem, „παιδός“ praeferendam esse censes vulgatae „θυγατρός.“

208, 1; 218, 1; 219, 4; 220, 4; 237, 1; 250, 1; 267, 2; 284, 18 et 19; 287, 8; 291, 1; 303, 3; 324, 4; 341, 3; 355, 1; 362, 9, 11, 15, 21, 34; 425, 1; 442, 3; 463, 1; 495, 4; 497, 3; 502, 2; 506, 2; 534, 2 et 3; 535, 1; 541, 2; 558, 2; 627, 1; 637, 2; 642, 3; 660, 8; 693, 2; 700, 2; 778, 3; 779, 6; 781, 13, 38, 44, 46; 813, 4; 816, 5; 870, 1; 877, 1; 879, 2; 890, 2; 913, 2; 933, 1; 1004, 1; 1008, 1; 1027, 4; 1028, 2; 1030, 2; 1039, 5; 1065, 3.

Largissimae huic exemplorum copiae sunt addendi dactyli nominum propriorum syllabis in tertia sede conformati. Cujus modi inveniuntur pedes: Hipp. 31, 34, 373, 455, 1417; Heracl. 478, 879; Med. 504; Rhes. 174, 299, 338, 977; Andr. 43, 73, 240, 325, 565, 631; Hec. 503, 764, 953, 1002; Suppl. 130, 184, 496, 639, 658, 660, 904, 1046, 1065, 1220, 1224; El. 410, 950, 1023, 1289; Troad. 18, 481, 747; Iph. T. 14, 359, 746, 1415, 1462; Ion. 1356, 1591; Hel. 13, 145, 289, 625, 821, 859, 1004, 1221, 1264, 1273, 1286, 1408, 1423, 1538, 1548, 1606, 1648, 1676; Phoen. 7, 855, 862, 1407, 1675; Iph. A. 107, 825, 945, 949, 1200, 1415, 1573; Cycl. 114, 178, 185; Bacch. 16, 790; Or. 11, 380, 872, 1105, 1171, 1279, 1630, 1660; postremo frgm. 90, 1; 307, 1; 705, 1.

3. Usitatissima ea quoque apud Euripidem est solutionis forma, ut longa dactyli efficiatur vocabulo monosyllabo, breves exprimantur initio vocis, quae sequitur. Qua in re quam regulam secutum esse Aeschylum probare studuimus, ut monosyllabum illud arcte cohaereat cum vocabulo antecedente (cfr. §. 20, 2), jam a Sophocle plus semel neglectam (cfr. §. 22, 3), eam saepissime violatam esse in Euripidis fabulis licet observari. Immo id quin pro certo dici queat, non dubium existimo, etiam in sex illis fabulis, quas in universum majore severitate, si metrum respicimus, compositas compluribus designavimus locis, tantum abesse ut regula ista ubique servata reperiatur, ut totidem laesae exempla occurrant. En versus omnes. Hipp. 1167 „...τοῦ σοῦ στόματος...“, 1246 „βραχὺν δὴ βίοτον“;

Heracl. 163 „*Τιρυνθίοις θεὶς πόλεμον*“, 834 „*μέν νυν πίτυλος*; Med. 547 „*γάμους μοι βασιλικούς*“, 578 „*προδοὺς σὴν ἄλοχον*“, 710 „*τῶν σῶν ἱκεσία*“, 746 „*πέδον Γῆς πατέρα*“, 1332 „*καὶ γῆς προδότιν*“; Alc. 611 „*ὁρῶ σὸν πατέρα*“, 691 „*ὁρῶν φῶς· πατέρα*“; Rhes. 91 „*μῶν τις πολεμίων*“, 335 „*γένοιτ᾽ ἂν πολεμίοις*“, 593 „*ἢ πᾶν στρατόπεδον*“, 647 „*ὁ σός μοι πόλεμος*“, 805 „*δύσοιζ᾽ οὐ πολεμίους*, 813 „*σὲ γὰρ δὴ φύλακα*“, 919 „*γὰρ δὴ ποταμίους*“; Andr. 262 „*δὴ θάνατον*“, 264 „*ἔχω σου δέλεαρ*“, 333 „*δὴ διαπεράνωμεν*“, 334 „*τῇ σῇ θυγατρί*“, 1247 „*λελειμμένον δή· βασιλέα*“. Quibus exemplis collatis quo jure quod supra diximus contendi possit, apparet. Neque id hercle negabis, si ceterarum fabularum locos respexeris. Cfr. Hec. 13, 394, 804, 1132, 1138, 1176, 1277; Suppl. 147, 263, 267, 312, 315, 477, 762, 1037, 1190; El. 276, 343, 599, 667, 677, 752, 833, 885, 921, 926, 947, 1086, 1127; Herc. fur. 95, 172, 620, 1133, 1147, 1153, 1231, 1258, 1263; Troad. 628, 688, 698, 722, 937, 953, 996, 1123, 1144, 1167, 1169; Iph. T. 19, 34, 40, 69, 241, 246, 280, 670, 693, 780, 921, 1054, 1359, 1399; Ion. 267, 313, 412, 618, 623, 653, 814, 846, 945, 971, 1320, 1334, 1399, 1481, 1553, 1592; Hel. 111, 270, 319, 792, 828, 874, 1035, 1062, 1198, 1242, 1247, 1277, 1299, 1388, 1419, 1429, 1530, 1545, 1592, 1613; Phoen. 498, 854, 1451 [1]), 1702; Iph. A. 96, 638, 672, 688, 804, 837, 950, 973, 978, 1116, 1405, 1438; Cycl. 164, 198, 546, 583; Bacch. 188, 455, 501, 510, 927, 1145, 1222, 1266; Or. 27, 53, 234, 520, 642, 654, 724, 889, 1031, 1099, 1143, 1160, 1208, 1242, 1578, 1609, 1659. Accedunt denique ex fragmentis versus: frgm. 16, 3; 220, 2; 235, 2; 257, 1; 352, 1; 375, 1; 377, 1; 504, 6; 520, 1; 553, 1; 706, 1; 728, 1; 816, 7; 971, 2. — Atque ne quid temere neglexisse dicar, eadem solutionis forma obviam fit in varia

---

[1]) nisi forte censes vocabula „*δὲ βλέφαρα*“ efficere tribrachyn, id quod rarissime, si observationi nostrae fides habetur, apud poetas fit scenicos. Cfr. etiam Porson. ad Eur. Hec. 298; Herm., elem. doctr. m., lib. I, cp. X, 7.

Phoen. v. 915 lectione, quam in margine adscriptam habet liber *C* et schol. commemorat ad h. l. „*γράφεται καὶ οὕτως· τί φῄς; ἐμὸν παῖδ' ἕνεκα γῆς σφάξαι θέλεις*“; quam nisi quis majorem esse codicum meliorum auctoritatem censuerit, propter pedem ista ratione solutum respuendam vix quemquam dicturum esse persuasum habeo.

4. Etiam ea in re cernitur major Euripidis negligentia metri tractandi, quod saepissime arsin dactyli *ἰαμβοειδοῦς* expressit vocabulo bisyllabo. Quod nisi arctissimo cohaereat nexu cum iis, quae sequuntur, versum in duas partes dividi haudquaquam eleganter, neminem fore ut fugiat speramus. Atque illud quidem etiamsi plerisque sane locis Euripides observavit, haud tamen pauci occurrunt, quibus non satis caute et diligenter talem versus divisionem vitasse videtur dicendus. Accuratius putaverim tractatos esse numeros Hipp. 1048 „*ἀλλ' ἐκ πατρῴας φυγὰς ἀλητεύων χθονός*“ [1]); Heracl. 327; Med. 31, 872; Alc. 311; Andr. 17, 158, 175, 227, 592, 649, 890; Hec. 45, 320, 398, 673, 1193, 1197, 1205; Suppl. 165, 270, 748, 752; El. 17, 366, 409, 487, 555, 684, 817, 837, 908, 980, 1026, 1268; Herc. fur. 82, 103 [2]), 180, 194, 340 (ex conjectura maxime probabili Nauckii), 475, 493, 708, 1131, 1356, 1361, 1391, 1417; Troad. 277, 433, 479, 769, 888, 916, 940, 1184, 1195, 1274; Iph. T. 25, 29, 32, 493, 680, 734, 822, 913, 915, 935, 974, 1159, 1352, 1358; Ion. 24, 304, 322, 576, 591, 748, 1004, 1011, 1337, 1342, 1603; Hel. 109, 114, 255, 268, 304, 589, 765, 796, 870, 946, 978, 1166, 1377, 1528; Phoen. 41, 64, 277, 384, 395, 414, 423, 545, 559, 562, 581, 881, 977, 993, 1069, 1110, 1120, 1310, 1399, 1400, 1419, 1608, 1645, 1671 [3]); Iph. A. 466, 506, 622, 650, 669, 680,

---

[1]) v. 1029 in censum non vocamus, quum jure nobis visus sit proscriptus a Valckenaerio.

[2]) nisi Nauckio assentiendum est, versum utpote ineptum uncis includenti, praesertim quum apud Stob. (in Floril. 110, 7), qui v. 101 – 106 affert, omissus sit.

[3]) v. 1644, a Valckenaerio in suspicionem vocatus, frustra, opi-

716, 824, 941, 1166, 1168, 1172, 1184, 1194, 1253, 1456 [1]); Cycl. 211, 230, 235, 275, 290, 405, 557; Bacch. 8, 31, 245, 274, 319, 335, 365, 448, 480, 702. 733, 765, 779, 833, 938, 944, 1071, 1093, 1132, 1142, 1279, 1345, 1347, 1358 (ex conjectura verisimillima Musuri); Or. 35, 40, 44, 63, 133, 226, 245, 248, 313, 385, 426, 551, 562, 592, 609, 617, 643, 658, 675, 861, 892, 1027, 1182, 1228, 1238, 1579, 1587, 1623. Denique frgm. 59, 1; 123, 2 et 3; 148, 2; 230, 8; 259, 2; 275, 3; 278, 2; 287, 15; 362, 18; 424, 1; 429, 1; 502, 1; 519, 2; 544, 1; 555, 1; 609, 1 [2]); 773, 3; 781, 43; 872, 1; 880, 1; 1039, 8 et 9.

Contra Suppl. 1060 „νικῶσα νίκην τίνα; μαθεῖν χρῄζω σέθεν“, numeros parum elegantes habere quis est qui neget? Mihi quidem adaugere videtur solutio in illo senarii loco admissa insuavitatem diaeresis medium dissecantis versum. Quam etsi interdum, ut certus quidam animi motus atque affectus exprimeretur et depingeretur, de industria adhibitam esse a poetis concedendum videtur, maxime tamen caveas ne ubique scabros versuum numeros quacunque ratione excusare studeas et explicare. Nisi vero consentis cum Gruppio, qui in libro, quem inscripsit „Ariadne“ (pg. 782) in versu Iph. A. 1243 „ὅμως δὲ σὺν δάκρυσιν ἱκέτης γίγνου πατρός“ tantum abest ut in solutione tertii pedis offendat, ut quaerat, an non anapaestus quoque in quarta sede, quippe qui Iphigeniae vehementissimam animi commotionem depingat, ferri debeat. — Itaque ipse nescio an magis Euripidis negligentiae cuidam tribuendum esse censeam, si versus composuit, arsin solvens ante tertiam diae-

---

nor, defenditur a Firnhabero in libro, cui nomen est „die Verdächtigungen Euripideischer Verse“, pg. 121 sqq.

1) v. 508 quin ab interpolatore additus sit, non amplius dubitatur. Cfr. Boeckh. in libro de tragg. pg. 288.

2) secundum conjecturam Meinekii, quum quam Stobaeus hos versus afferens (Ecl. II, 7, 2, pg. 336) habet lectionem propter anapaestum in altera sede positum ferre nequeamus.

resin, quales El. 43, 545, 1094; Herc. fur. 49, 64, 464, 593, 708, 978, 1277; Troad. 466, 875, 1158, 1177, 1265; Iph. T. 370, 371, 481, 484, 566. 595, 1040, 1183, 1444; Ion. 813, 984, 995, 1028, 1030, 1348; Hel. 57, 100, 290, 401, 412, 449, 612, 1043, 1399, 1449, 1520; Phoen. 63, 431, 449, 836, 1616, 1650; Iph. A. 468, 660 (quem quidem suspectum habet Nauckius), 952, 1196; Cycl. 88, 99, 161, 343, 695, 700; Bacch. 212, 289, 298, 353, 841, 1106; Or. 401, 479, 624, 1585, 1622.

5. Dactyli arsin efficiunt duo vocabula monosyllaba, thesis exprimitur fine ejus, quod antecedit. Qua solutionis forma prorsus vacant quinque, quas primo semper collocavimus loco, fabulae; Andr. duo ejus praebet exempla, v. 395 „*πάσχω· τί δέ με*", et 902 „*πρὸς ἡμῶν, τὰ δὲ πρός*", utrumque manifesto facile quod feratur propter arctum monosyllaborum nexum. Eodem modo Suppl. 234 „*ἀστοὺς, ὁ μέν*"; El. 561 „*φωτός· τί δέ*"; Herc. fur. 551 „*ἔρημοι, σὲ δέ*", 965 „*πάσχεις; τίς ὁ τρόπος*", 967 „*καίνεις; ὁ δέ νιν*"; Troad. 424 „*λάτρις· τί ποτ᾽ ἔχουσι*", 1232 „*ἕλκη τὰ μὲν*"; Iph. T. 751 „*εἴην· τί δὲ σύ*", 1006 „*ποθεινὸς, τὰ δέ*", 1023 „*δυναίμην, τὸ δέ*", 1069 „*ἱκνοῦμαι σὲ δέ*", 1310 „*εἴης· σὺ δέ*"; Ion. 613 „*ἄτεκνος τὰ σά*", 960 „*τόλμης, ὁ δέ*", 1007 „*δεσμοῖς· ὁ δέ*", 1182 „*φιάλας· ὁ δέ*"; Hel. 22 „*ἐκλήθην· ἃ δέ*", 52 „*πολλαὶ δι᾽ ἔμ᾽ ἐπί*", 92 „*φύσας, τίν᾽ ἄν*" (quem versum in suspicionem vocat Nauckius), 157 „*σιγῶ· τί γάρ*", 261 „*Ἥραν, τὰ δέ*", 577 „*ὅμοιον, τὸ δέ*", 590 „*ἡμᾶς, τὰ δέ*", 609 „*Ἀχαιοί, δι᾽ ἔμ᾽ ἐπί*", 958 „*εἴην, σὺ δέ*", 1101 „*πατρῷα· τί ποτ᾽ ἄπληστος*"; Phoen. 377 „*δεδορκώς; τί δέ*", 849 „*πάρεσμεν· τί με*", 1623 „*φανοῦμαι· τὸ γάρ*", 1684 „*γαμοίμην, σὺ δέ*"; Iph. A. 525 „*Ὀδυσσεὺς, ὅ τι*", 1144 „*σιωπῶ· τὸ γάρ*"; Cycl. 434 „*ἀλύει· σὺ δέ*", 529 „*ἀσκόν· τὸ δέ*"; Bacch. 192 „*ὁμοίως ἂν ὁ θεός*", 214 „*ἐπτόηται· τί ποτ᾽ ἐρεῖ*", 1240 „*κρεμασθῇ· σὺ δέ*"; Or. 20 „*Ἑλένην, ὁ δέ*", 570 „*ἐχούσαις ὅ τι τύχοι*", 581 „*ἐπῄνουν, τί μ᾽ ἄν*", 672 „*ἥκω· τί δέ*", 1028 „*τλήμων· τὰ δέ*", 1048 „*χειρῶν· τί γάρ*", 1301 „*θνήσκω· σὺ δέ*. Deni-

que reperitur eadem solutionis forma expers offensionis frgm. 278, 1 „ἐσμέν· τὰ δέ" et 1024, 1 „ἀτὰρ σιωπᾶν τά γε δίκαι' οὐ χρή ποτε".

Abs quibus omnibus exemplis quantum discrepent Hel. 1236 „νεῖκος τὸ σόν, ἴτω δέ" et Or. 549 „ἡμῖν τὸ σόν, ἵ μ' ἐκπλήσσει", quippe in quibus monosyllaba arcte pertineant ad vocabula antecedentia ideoque inelegantem efficiant versus incisionem, non operae est pretium accuratius exponere. Nullo tamen pacto hac sola de causa hi loci, utpote ex Hel. et Or. petiti, corrigendi videntur.

6. Eadem vocabulorum, quae solutionem efficiant, arcta conjunctione esse opus existimo, si prior dactyli brevis conformetur vocabulo monosyllabo, altera initio sequentis, longa antecedentis fine. — Tali solutione ne sex quidem illas fabulas abstinuisse ostendunt loci Heracl. 254 „δίκαιον τὸν ἱκέτην"; Alc. 802 „οὐ βίος ἀληθῶς ὁ βίος" [1]); Andr. 70 „πέπυσται τὸν ἐμόν" et 184 „θνητοῖς τὸ νέον". Eodem modo solutus est tertius pes Hec. 345, 977, 1022; Suppl. 390, 550; El. 353, 526; Herc. fur. 106, 548, 838, 973, 1238; Troad. 362, 690, 1168; Iph. T. 802, 1416; Ion. 643, 952; Hel. 291 (si probaverimus Porsoni ad h. v. conjecturam, a plerisque receptam recentiori tempore editoribus, „ἐλθόνθ' ἃ φανέρ' ἂν μόνοις ἂν ἦν"; magis tamen nescio an placeat, quod Cobeto in mentem venisse dicit Badhamius ad h. l. „ἁμφανῆ μόνοις ἂν ἦν", qua emendatione vitatur particula ἂν brevi intervallo repetita; codd. „ἃ φανερὰ μόνοις ἂν ἦν", contra metrum), 826, 1598; Phoen. 390, 405, 408, 425, 452, 487, 534, 544, 889, 1215, 1655; Iph. A. 488, 624, 815, 843, 1016, 1441; Cycl. 319, 627; Bacch. 203, 206, 272, 645, 675, 807, 816, 844, 1268, 1272, 1280, 1322; Or. 390, 568, 597, 640, 1038, 1126, 1344, 1617 [2]); denique in frgm. 154, 1; 168, 1; 530, 2; 557, 2; 587, 2; 773, 2; 1022, 1.

---

[1]) de h. l. cfr., quae supra diximus ad §. 14, 3 et §. 23, 4, init.

[2]) in v. 394 libri invito metro exhibent „δαίμων δ' εἰς ἐμὲ

7. Nec desunt apud Euripidem, ut apud Aeschylum et Sophoclem, exempla tertii pedis ita soluti, ut dactyli longa expressa sit vocabulo monosyllabo, duae breves bisyllabo. Qua in solutione cur plerumque positum sit vocabulum monosyllabum arctissime cohaerens cum antecedente, facile est perspectu. Sic Andr. 47 „παῖς μοι μόνος“, 416 „τῷ σῷ διά“, 698 „πλέον δρῶν ἑνός“; cfr. Hec. 1152; Suppl. 149; El. 533, 681, 940, 1045, 1048, 1063, 1084, 1273; Herc. fur. 63, 321, 1000, 1129, 1244, 1378; Troad. 375, 778, 868; Iph. T. 587, 1065, 1088, 1165, 1179, 1458; Ion. 654, 742, 828 (quem, ut in codicibus legitur, optimo quidem jure judicat Kirchhoffius versum corruptissimum; cfr. Badh. ad h. l.), 963, 1347; Hel. 1027, 1028, 1168, 1265, 1406; Phoen. 846, 1593, 1641, 1659; Iph. A. 410, 411, 747, 1226, 1418, 1423, 1450; Cycl. 6, 84, 147, 439; Bacch. 793, 918; Or. 99, 434, 439, 1141; postremo frgm. 49, 1; 277, 4; 757, 8; 818, 2.

8. Quibus locis Euripides admisit in tertia sede dactylum duobus vocabulis monosyllabis initioque sequentis conformatum, id plerumque videtur observasse, ut quod longam exprimeret vocabulum arctius conjungeret cum antecedente, priorem brevem cum eo, quod sequitur. Nec tamen hujusmodi solutio invenitur nisi in fabulis recentioris, ut videtur, aetatis. Sic Ion. 839 „ἁπλοῦν ἂν ἦν γὰρ τὸ κακόν“, 1189 „ὡς παῖς ὁ νέος“; Hel. 293 „ἔτι ζῶ; τίν’ ὑπολείπομαι“; Phoen. 509 „ἀνανδρία γὰρ τὸ πλέον“; Iph. A. 472 „σὸν γὰρ τὸ κράτος“, 1104 „Ἀγαμέμνονος τοῦδ’, ὅς ἐπί“, 1237 „πόθεν ἦλθ’ ἐπ’ ὀλέθρῳ“; Cycl. 277 „Ἰθακήσιοι μὲν τὸ γένος“; Or. 397 „σοφόν τοι τὸ σαφές“, 486 „Ἑλληνικόν τοι τὸν ὁμόθεν“, 491 „ἀγὼν ἄν τι σοφίας“ [1]), 632,

---

πλούσιος“, quod utrum in „δ’ εἰς μέ“, an in „δ’ ἐς ἐμέ“, ut in editione Barnesiana factum, sit mutandum ipse dijudicare non ausim, quum quas secutos esse regulas in hac re poetas scenicos asseverat Menge („de praepositionum usu apud Aeschylum“, pg. 59 sqq.), non satis eas habeam stabilitas exemplis atque comprobatas.

[1]) ut in Nauckii legitur editione; codd. perverse „πρὸς τόνδ’ ἀγών τις σοφίας ἥκει πέρι“, unde Porsonus correxit verbis transpo-

1146, 1589. Denique frgm. 537, 1 „τερπνὸν τὸ φῶς μοι τόδ᾽· ὑπό"; nisi praetuleris Nauckii emendationem „τὸ φῶς τόδ᾽· ὁ δ᾽ ὑπό", quam non infitior mihi videri habere, quo arrideat.

9. Postremo loco pauci commemorandi mihi sunt loci, quibus in tertia sede dactylum tribus ex vocabulis monosyllabis composuerit Euripides; cujus solutionis exemplis ne Sophoclis quidem vacare fabulas supra vidimus. Alterum vocabulum et tertium arctissimo inter sese debere cohaerere nexu, ut unius fere instar sint posita, primo magis ad antecedentia pertinente, vix est quod moneam. El. 1146 „δώσω χάριν σοι, σὺ δέ"; Iph. T. 533 „ὦ πότνι᾽, ὡς εὖ· τί γάρ"; Hel. 844 „λέκτρων ὕπερ σῶν· ὁ δέ", 923 „τὰ δ᾽ ὄντα καὶ μή, τὰ δέ"; Iph. A. 989 „θανοῦσ᾽ ἐμὴ παῖς, ὅ σε"; Bacch. 492 „εἴφ᾽ ὅ τι παθεῖν δεῖ· τί με"; Or. 418 „δουλεύομεν θεοῖς, ὅ τι"; denique frgm. 35, 1 „ἀεὶ τὸ μὲν ζῇ, τὸ δέ" et 538, 1 „τὸ μὲν γὰρ ἐν φῷ, τὸ δέ".

Caput quartum.

§. 25.

Omnibus omnino dactylorum exemplis in senariis tragicorum enumeratis atque pertractatis, liceat nobis jam quae potissimum observasse nobis visi sumus paucis complecti.

1. Omnium, quotquot usurpantur a tragicis, solutionum frequentissime inveniuntur dactyli in tertia sede, atque ii quidem plerumque ita conformati, ut longam efficiat extrema vocabuli syllaba, breves initium ejus, quod sequitur. — Aeschylus enim, qui ca. 293 [1]) in septem fabula-

sitis „πρὸς τόνδε σοφίας τίς ἂν ἀγὼν ἥκοι πέρι"; magis fucans, opinor, loci vitium, quam sanans.

[1]) non computatis h. l. solutionibus nominum syllabis propriorum conformatis.

rum 4308 trimetris iambicis admisit solutiones, 137 praebet dactylorum in tertia sede exempla; apud Sophoclem, qui 446 pedes adhibuit solutos in 7568 senariis, dactyli inveniuntur in tertio eorum loco 185; Euripides denique, cujus in fabulis 3729 reperi solutiones, in 17825 senariis 1605 locis tertium pedem solvit in dactylum.

2. Multo rarius, neque fere nisi nominum propriorum formis coacti, poetae in metro tractando diligentiores et severiores primum senarii pedem, ne iambicus perturbaretur numerus, ausi sunt solvere in dactylum. Aeschyli Prom., Pers., Suppl. et Eumen. prorsus vacant ea solutione; semel in Sept., bis in Agam. et Choeph. invenimus in versus initio dactylos, quorum quidem qui leguntur in Agam., alter nominis proprii conformatur syllabis, alter ne potest quidem pro certo dici num revera profectus sit ab Aeschylo, quum haud injuria videatur vocatus in suspicionem [1]). — Sophocles deinde severitatem Aeschyleam in prioribus sex fabulis secutus, ter in Ai., bis in El., semel in Trach., Ant., O. C., bis in O. R. admisit in prima trimetri sede dactylos (quorum duo nominum syllabis propriorum efficiuntur); contra quae majore jam licentia composita videtur fabula, Phil. duodecim ejus modi suppeditat locos. — Euripides denique quam minime constans quantoque opere negligentior factus sit in metro tractando, etiam inde elucet, quod qui in sex fabulis illis, quas saepius jam severioris stili designavimus, octo tantum inveniuntur in versus initio dactyli [2]), eorum numerus in ceteris usque ad 55 procedit (in Iph. A. et Or.).

3. Alio, atque in primo et tertio trimetri loco dactylos ferri non posse supra (§. 18) breviter indicatum est et

---

[1]) cfr. §. 19, ann.

[2]) omnino carent hac solutione Hipp. (neque enim quidquam refert, undecies in primo trimetri loco nomen positum esse proprium „Ἱππόλυτος"), Heracl., Med.; semel legitur in Alc. (quo loco loquitur Hercules; cfr. quae supra diximus de hac re), semel in Rhes., sexies in Andr.

jam dudum intellectum ab hominibus doctis. Cfr. Morellus, „tractatus de Graecc. metris" (ante Thesaur. Graec. poes.); Seidler, de verss. dochm. pg. 380; Porson, praef. ad Eur. Hec. VIII, XX, XXI (edit. III); Freese, „griechisch-römische Metrik" pg. 180; Rossbach et Westph. III, pg. 188. — Qui secum reputaverit, in senario pro iambo poni licere spondeum non nisi „*κατὰ τὰς περιττὰς χώρας*", facile cur in altera ac quarta trimetri sede dactylum omnino respuendum censuerint veteres tragici poetae, intelliget. Itaque in Soph. Phil. 1226 Laurentiani lectionem „*ᾗν σοὶ πειθόμενος*" utpote mendosam postponendam esse aliquot apographorum scripturae „*πιθόμενος*" jamdudum perspexerunt homines docti. Neque aliter res se habet in duobus locis Euripideis. Med. 253, quem exhibet cod. Vatic. (B) „*σοὶ μὲν γὰρ πόλις ἥδ' ἐστί*", recentiores correcti praebent „*σοὶ μὲν πόλις θ' ἥδ' ἐστί*" [1]). Dein Or. 20 legitur in codicibus optimae notae: „*Μενέλεως Ἑλένην*", neque tamen quin recentiorum paucorum scriptura „*Μενέλαος Ἑλένην*" unice sit pro vera habenda, dubitari potest.

Cur vero in quinta senarii sede maxime vitaverint tragici dactylos, quod supra ipse equidem indicavi, accuratissime exposuit Hermannus (praef. ad Eur. Hec. XXXXII et XXXXIII), cujus verba, quippe quibus prorsus assentiar, hic referre placet. „Nam quum plerique versus trimetri arsin quarti pedis solutam habentes vocabulo quadrisyllabo finiantur, prima syllaba quinti pedis, si is pes dactylus esset, in fine vocabuli futura esset. Atqui vocabulum longa syllaba finiens isto quidem in loco evitatur, cujus rei argumenta exposuimus ad Hec. 341. Quare quid mirum si in tanta paucitate trimetrorum quintam arsin solutam habentium nullus reperitur, in quo dactylus istam sedem habeat? — — Cur autem hoc in loco pedes isti improbantur, non item in sede tertia? Nimirum properante ad finem

---

1) nisi praeferendum censueris „*σοὶ μὲν πόλις γὰρ ἐστί*", omisso pronomine satis, ni fallor, supervacaneo.

numero solutio longae syllabae hoc magis in tragico versu displiceat necesse est, quo aegrius exhaustis jam pulmonibus in fine versuum celeritas et vis numeri augetur. Eadem in omni genere versuum causa est, qua re in fine multo minor sit, quam in principio, permutationis longarum et brevium syllabarum libertas.“ — —

Quae quum ita sint, quin quod legitur Iph. A. 1623 „*τόνδε μόσχον νεαγενῆ*“, nisi synizesi syllabas *νεα*— quasi in unam coalescere sumamus [1]), non ab Euripide profectum sit, dubitationi haud obnoxium. Atque vix, si quid video, pretium operae fecit Porsonus, versus vitium illud tollens emendatione „*εὐγενῆ*“, quum interpolatum esse totum Iphig. Aul. finem jam dudum constet inter homines doctos criticae peritos.

Denique rectissime conjecisse persuasum habeo Nauckium in frgm. 967, vulgo ita scripto „*ἡ γὰρ σιωπὴ τοῖς σοφοῖς ἐστ᾽ ἀπόκρισις*“, quum illud „*ἐστ᾽*“ absit in Menandr. Monost. 222, quo loco et ipso hunc versum habemus, „*τοῖς σοφοῖσιν ἀπόκρισις*“. Qua recepta emendatione facillima omnia omnino, si recte observavi, e tragicorum trimetris remota sunt exempla dactylorum in quinta sede admissorum.

---

1) cfr. Wunder, adverss. in Soph. Phil. pg. 37.

Pars tertia.

De anapaestorum usu in dialogorum senariis Aeschyli, Sophoclis, Euripidis.

Caput primum.

§. 26.

R. Porsonus posteaquam ineunte fere nostro saeculo, quae accuratissimo metri tragicorum studio invenisse sibi visus esset, publici juris fecit, certis quibusdam regulis legibusque, imprimis in anapaesto adhibendo in trimetris iambicis, sese obstrinxisse poetas scenicos ostendens [1]), multorum dein disceptationes hominum doctorum, praecipue Hermanni [2]) et Elmsleyi [3]), suscitatae id effecerunt, ut maximum inde perciperet metrica fructum, nec non quaestio illa de anapaestorum usu in tragicorum senariis diligentissime tractaretur. Quae quum ita sint, facile fieri non posse, ut nova prorsus in hac re proferamus, quivis intelligit; attamen post mutata tantopere criticae in fabulis Aeschyli, Sophoclis, Euripidis exercendae fundamenta recentiore tempore, ne quis denuo rem a capite repeti supervacaneum existimet, non veremur. — Itaque paucissima

---

1) in praef. illa notissima ad Eur. Hec. pg. V sqq., suppl. ad praef. pg. XVIII sqq.

2) Praef. ad Eur. Hec., Lips. 1800.

3) „Review of Porson's Hecuba" in „Edinburgh Review", 1811, no. XXXVII, pg. 64—95.

praefatus, quae non aliena habeam a proposito, ordine, quo antea usus sum, de singulis dicam anapaestis in senariis tragicorum admissis.

§. 27.

Ex iis, quae supra (§. 18) de tragicorum trimetrorum compositione paucis indicavimus, cur alteram, quartam, sextam sedem, aeque ac dactylus, intrare non possit anapaestus, apparet. Simul vero hunc pedem ne in ceteris quidem trimetri locis pro iambo proprie poni posse haud difficile est intellectu. Nam si quis in eam incidat cogitationem, anapaestum in sedibus versus imparibus licere collocari spondei soluta priore syllaba longa, in ea maxime fallitur re, quod spondei istius, qui in prima, tertia, quinta sede saepissime occurrit pro iambo, syllaba prima irrationalis est (v. §. 18) ideoque in duas breves solvi nequit. Itaque iambi vel spondei natura et indole nullo modo anapaesti in trimetris admissio explicari potest, sed mera poetarum licentia dicenda est. — Constat vero iam dudum, tragicos admisisse anapaestum non nisi in primo senarii pede; cujus usus omnino constantis si in causas inquirimus, inde videntur petendae, quod in prima sede minus, quam in ceteris, ne numerus iambicus prorsus perturbaretur, tragici certe sermonis dignitati non responderet, verendum erat poetis. Ea quidem ratio, quam exposuit Porsonus l. l., cur ferri non possent in tragicorum trimetris, nisi in prima sede, anapaesti, satis recte mihi videtur refutata esse ab Hermanno (l. l. pg. XXXVI sqq.). Ille enim ita concludens (l. l. pg. VI): „Tantum scilicet abest, ut anapaestus pro secundo aut quarto pede ponatur, ut ne pro tertio quidem aut quinto substitui possit. Hoc de tertio pede si quis verum esse concedet, concedet a fortiori, ut logici dicunt, de quinto etiam verum esse; dactylus enim, qui in tertia sede creberrime usurpatur, in quinta numquam apparet. Anapaestus igitur, si illa excluditur, hanc

intrare non potest"...., — ille igitur in ea potissimum re falsus est, quod dactyli comparatio neque ad defendendum neque ad impugnandum anapaestum quidquam conferri videtur. Rectissime enim judicat Hermannus, magnam in ea re cerni metricorum imperitiam, qui moras et syllabas numerare, quam numerum expendere satius duxerint (l. l. pg. XXXXIII). Ipse vero quod quo solet ingenii acumine insigni studuit illo loco demonstrare, anapaestos, qui non essent in nominibus propriis, in tragicorum trimetri ceteris quoque pedibus, non solum in primo, interdum tolerari posse neque omnes esse ejiciendos (l. l. pg. LXIX), id videtur ipse posteriori tempore improbasse (cfr. elem. doctr. metr. pg. 119). Neque amplius quemquam inveniri putaverim, qui anapaestum in tragicorum senariorum alia, atque in prima, sede ferri posse censeat [1]).

Hanc vero regulam, maxime ex nostra sententia usu stabilitam, cave ne etiam in nominibus propriis adhibendis observasse ubique tragicos poetas existimes. Permulta enim, ut *Ἰφιγένεια*, *Τειρεσίας*, *Ἱππομέδων*, *Ἀντιγόνη*, prorsus excludenda erant ex dialogorum versibus, nisi in iis adhibendis anapaesti in altera quoque, tertia, quarta, quinta sede admittendi licentiam sibi sumsissent poetae. Sed ne ea quidem sine magna cautione videntur versibus inseruisse tragici severiore utentes in metro tractando arte. Quid quod Aeschylus nominibus *Ἱππομέδων*, *Παρθενοπαῖος*, altera syllaba producta, versum adaptare, quam versui nomina maluit (cfr. §. 5, 5). — Haec vero quo modo singula sese habeant infra accuratius nobis exponendum videtur. —

---

1) cfr. Boeckh, de metr. Pind., l. l. Herm. ad Soph. Phil. 782. Elmsley „review of Porson's Hecuba", l. l. pg. 65 „Should any scholar of the nineteenth century venture to maintain the admissibility of an anapest, not included in a proper name, into any place of a Greek tragic senarius except the first foot, he would assuredly be ranked with those persons, if any such persons remain, who deny the motion of the earth or the circulation of the blood."

Ad trimetrum *satyricum*, quippe qui adamet pedes solutos [1]) magisque jam ad comici versus levitatem licentiamque inclinet, illam de anapaestorum usu regulam nullo modo pertinere, vix est, quod commemoretur h. l., dignum. V. Herm., elem. doctr. metr. pg. 124 sq. — Atqui vitari solitum esse anapaestum, tragicis omnino illicitum, in sermonibus personarum, quae serias, ut ita dicam, agerent partes, ex unica fabula satyrica nobis servata fragmentisque ceterarum jure quodam quin colligi possit, non dubitamus [2]). Et jure fortassis ac merito conjicias, statuendum esse discrimen inter fabulas antiquioris recentiorisque temporis, quamquam quominus certis ea demonstretur et comprobetur sententia argumentis, prohibet versuum satyricorum paucitas superstitum. V. §. 33, 3.

Haec vero hactenus.

Caput alterum.

De anapaestis, qui in Aeschyli fabulis leguntur.

§. 28.

De anapaestis in prima sede senarii admissis.

1. Injuria sibi videri videtur Hermannus demonstrasse (in praef. ad Hec. pg. LVII), anapaestum ne in prima quidem senarii sede, nisi necessitate jubente, adhiberi a tragicis. Satis enim multi praesto sunt loci jam Aeschyli fabularum, quibus in versus initio occurrant anapaesti, quos mutata verborum collocatione facile, si voluit, potuit vitare poeta. Id vero acutissime observatum esse ab Hermanno (elem. doctr. metr. pg. 119) negari nequit, in veteri tra-

---

1) cfr. Casaubon. de poesi satyrica, pg. 222.

2) cfr. Rossbach et Westphal, l. l., III, pg. 191.

goedia (Aeschyli et Sophoclis, modo excipiamus ejus Philoct.), valuisse videri eam legem, ut integro tantum vocabulo conformaretur in prima sede anapaestus, dein etiam ut vitaretur, qui ex augmenti accessione existeret [1]).

Anapaestorum exempla vocabulis trisyllabis formatorum inveniuntur apud Aeschylum haecce: Prom. 89 „ποταμῶν“, 366 „κορυφαῖς“, 368 „ποταμοί“, 721 „κροτάφων“, 722 „κορυφάς“, 849 „ἐπαφῶν“, 994 „χθονίοις“; Sept. 495 „ὄφεων“ [2]), 1010 „ἱερῶν“; Pers. 184 „μεγέθει“; Agam. 504 „δεκάτῳ“, 1257 „ὀτοτοῖ“; Eum. 92 „ἱκέτην“, 474 et 577 „ἱκέτης“; deinde frgm. 140, 1 „ποταμοῦ“, 193, 7 „νεφέλην“, 249, 1 „φαγέδαιν᾽ ἀεί“, 294, 1 „ἀπάτης“. Positione producitur ultima syllaba in versus initio, ut evadat anapaestus, Pers. 343 „ἑκατὸν δίς“; Agam. 590 „ὕπατός τε“.

Nomina denique propria efficiunt anapaestum in primo trimetri pede: Pers. 306 „Τεναγών“, 323 „Θάρυβίς τε“, 327 „Κιλίκων“; Sept. 64 „Ἄρεως“ (cfr. autem infra ann. 2); 422 et 440 „Καπανεύς“, 474 „Μεγαρεύς“; Suppl. 282 „Κύπριος χαρακτήρ“, 316 „Λιβύη“; Agam. 267 et 813 „Πριάμου; Choeph. 20, 562, 899 „Πυλάδη“; frgm. 190, 3 „Γαβίους“. —

2. Vocabula plus tribus syllabis continentia efficiunt anapaestum in versus initio Prom. 6 et 64 „ἀδαμαντίνων“, 353 „ἑκατογκάρανον“, 796 „μονόδοντες“, 811 „καταβασμόν“; Sept. 268 „ὀλολυγμόν“; Suppl. 192 „ἱκετηρίας“ [3]), 763 „ἱκε-

---

1) Herm. in elem. doctr. metr. pg. 120; praef. ad Eur. Bacch. XXX. — Cfr. Rossb. et Westph., l. l. III, pg. 190.

2) nisi h. l. per synizesin pronuntiatum esse hoc vocabulum tamquam bisyllabum sumas; cfr. de his vocalium contractionibus Boeckh, de metr. Pind. III, cp. 18, pg. 289.

3) quo loco nescio cur Victorii correctio „ἱκτηρίας“ a plerisque editoribus probata sit recentioribus; formam enim illam etsi haud ignoro in usu fuisse apud tragicos, tamen eam esse reponendam ubique, invitis libris manu scriptis, metro haudquam postulante, ut credam non facile adducar. — Cfr. Steph. thes. s. v. ἱκετήριος.

ταδόκου"; Agam. 28 et 595 „ὀλολυγμόν", 337 „ἀφύλακτον"; Choeph. 275 „ἀποχρημάτοισι" [1]).

In frgm. 247, 1 „κρεμάσασα τόξον" recte videtur emendasse Hermannus (Opusc. III, 121) „κρεμαστὰ τόξα", nisi quis praeferendum duxerit vel Bothii „κρεμάσας τὸ τόξον", vel Nauckii „κρεμάσας δὲ τόξον". Certum de hac re neque ex sensu, quando quidem unus tantum hic versus laudetur a Schol. ad Hom. Od. ξ, 12, neque ex metro judicium ferri posse mihi videtur.

Priores tres propriorum nominum syllabae conformant anapaestum in prima trimetri sede Prom. 805 „Ἀριμασπόν"; Sept. 414 „Μελάνιππος", 570 „Ὁμολωΐσιν"; Pers. 273 „Σαλαμῖνος; Agam. 26, 1246, 1314 „Ἀγαμέμνονος", 309 „Ἀραχναῖον"; Eum. 456 „Ἀγαμέμνον' ἀνδρῶν"; frgm. 153, 2 „Βερέκυντα".

3. Injuria recepisse in Prom. 395 duorum deterioris notae codicum Brunckium lectionem „ὁ τετρασκελής", Mediceo articulum omittente, vix est, quod commemorem. Cfr. Herm., praef. ad Hec., pg. LIV. — Nullus igitur in Aeschyli fabulis occurrit locus, quo anapaestus in prima sede conformatus sit duobus vocabulis.

§. 29.

De anapaestis in aliis, ac primo, pedibus admissis.

1. Quanto opere studuerit Aeschylus omnino in altera sede, tertia, quarta, quinta vitare anapaestos, propriorum quoque nominum syllabis conformatos, ex eo apparere putavimus [2]), quod nonnullorum nominum formas versui adaptare, quam intactas eas linquens anapaestos inferre maluerit in senarium. Itaque non mirum, quod uno tantum

---

1) sic Medic.; quod Robortelli ex conj. Sophiani dedit „ἀχρήματοισι" . . ., probatum a Stephano, aliis, refutatum videtur Schuetzii et Klausenii interpretatione.

2) v. supra §. 27.

loco invenitur apud Aeschylum nomen proprium anapaestum efficiens, idque in quinta sede, Sept. dico v. 569 „*ἀλκήν τ᾽ ἄριστον, μάντιν, Ἀμφιάρεω βίαν*“ [1]).

2. Haec si respicimus, vix operae est pretium disertis dicere verbis, syllabis nominum appellativorum, quibus ne efficeretur anapaestus in loco illicito optime quivisse vitare poetas facile intelligitur, in alia atque prima senarii sede nusquam tolerari posse anapaestum conformatum. Excipiendi quidem fabularum versus satyricarum; neque enim quin in frgm. 200, 1 „*κώμολίνου μακροὶ τόνοι*“ prorsus recte scriptum sit, dubitamus. Cfr. Rossbach et Westph., l. l. III, pg. 191. — In tragoediarum vero versibus non est, cur negemus, suo jure emendasse homines criticae peritos perpauca ejus solutionis exempla, quae in codicibus vitiose reperiantur. En locos ipsos.

Prom. 265 Med. ceterique libri omnes „*...τοὺς κακῶς Πράσσοντας· ἐγώ*“ ..., ut anapaestus sit in *altero* trimetri pede; quam lectionem, lenem adhibens medelam, correxit Stanley „*...τὸν κακῶς Πράσσοντ᾽· ἐγώ*“ ..., praesertim quum singularis numerus h. l. etiam propter sensum aptior sit plurali „*τοὺς πράσσοντας*“, ut suo jure videtur judicare Schuetz ad h. l.

Dein in Prom. 353 Medicei „*ἑκατοντακάρηνον*“ felicissime esse mutatum a Pauwio in „*ἑκατογκάρηνον*“ [2]) hodie nemo, nisi fallor, negat. Cfr. Elmsl. in „Edinburgh Review“, 1811, no. XXXVII, pg. 66.

frgm. 452, 6 „*ἀνέμῳ νεφέλῃ*“ non est, cur afferam h. l., quippe qui versus aperte sint profecti a falsario aliquo. Cfr. quae diximus ad §. 2, 3.

---

[1]) Pers. 817, ubi in Med. legitur „*Δωριάδος λόγχης ὕπο*“, ex aliis codicibus recte esse restitutam formam „*Δωρίδος*“ quivis concedet. Cfr. Dind. ad Pers. 270 et 817. Simile, quod supra tetigimus §. 20, 1 (fin.).

[2]) Blomfield „*ἑκατογκάρανον*“, atticismi causa, de qua re Hermannus: „probabili, etsi non prorsus certo argumento“. Cfr. etiam Dindorf. ad h. l.

In Prom. 246 quae codicum lectio „ἐλεεινός“ anapaestum inferre videtur in tertiam senarii sedem, post egregiam Porsoni disputationem (praef. ad Hec., pg. VII) mutandam eam esse in „ἐλεινός“ formam unice Atticam, nemo, opinor, palam profiteri moratus est [1]).

Quod *quartum* attinet pedem, unus exstat locus, metro, si codices sequimur, laborans, cui medela omni ex parte certa nondum allata esse videtur, Prom. dico v. 354. Qui quidem in Med. scriptus „Τυφῶνα θοῦρον, πᾶσιν ὃς ἀντέστη θεοῖς“ [2]), a Wunderlichio (observatt. crit. in Aesch. tragg., pg. 27), satis quidem facilem adhibente mutationem, correctus est in „πᾶσιν ὃς ἀνέστη“... Quae conjectura, plerosque quidem homines doctos accipiens defensores, tamen invenit etiam, abs quo reprehenderetur. Accuratissime enim contra Wunderlichium disputavit Bergkius [3]) quae disceptatio quum metrum imprimis respiciat, vituperationem non spero me subiturum esse, si ad verbum eam h. l. afferam.

Dicit Bergkius l. l.: „— — — Propterea maxime rejiciendam existimo illam correctionem, quod numeros infert in antiquiore tragoedia prorsus insolitos. Talis autem solutio cur numeri legibus repugnet, intelliges, si arsis naturam accuratius consideraveris. Arsis, quae longa syllaba constat, potest resolvi in duas breves. Ut autem potest numerus commutari cum alio, qui syllabarum multitudine impar est, ita debet ille numerus, qui substituitur in locum alius, et mensura et natura par esse. Jam si arsis, quae est longa, resolvitur in duas breves syllabas, illae non sunt separatae et disjunctae, sed tam arcte cohaerent,

---

1) Hermannus quidem, quamquam acquiesci posse in hac scriptura non negavit, ἐλεινός glossam esse ratus vocabuli alius, verum vidisse sibi visus est scribens „φίλοισιν οἰκτρός“, quod num cui arrideat dubium existimo.

2) Robortelli metrum pervertens dedit „... θοῦρον ὃς πᾶσιν“...

3) in recens. Dindorfii edit. poetarum scenicorum, in Zimmerm. Diurn. 1835, pg. 946 sqq.

ut unum quasi quoddam efficiant: hinc sedulo curaverunt poetae scenici, ut duae breves syllabae, quae in locum longae successissent, semper unius ejusdemque vocis essent. Nam si prior syllaba est extrema unius vocabuli, posterior autem prima alius verbi, tum incessus continuus turbatur levitasque numerorum contaminatur. Minus offensionis et insolentiae habet illud, si quae voces ita sunt inter se copulatae, ut quasi unum quoddam efficiant verbum. . . . . . Sed vel hae solutiones, etsi non tollunt numerorum combinationem, tamen in antiquioribus tragoediis, quum severitas magna in numeris componendis observaretur, raro admodum deprehenduntur.“ — —

Idem fere judicium paucis, ut solet, fert Hermannus ad h. l. „imperite Wunderlichius conjecit „*πᾶσιν ὃς ἀνέστη θεοῖς*“, numero prorsus ab Aeschyli arte alieno“; neque ulli mihi videtur obnoxium esse dubitationi, quin rectissime illud latum sit. Quibus enim cunque locis legitur apud Aeschylum et Sophoclem solutio isto conformata modo, nusquam reperies vocabulum monosyllabum, quod non arctissime cohaereat cum antecedente vel sequente (cfr. §. 3, 5. §. 4, 5. §. 8, 6. §. 9, 5. [1]) §. 10, 7.); Euripides in fabulis posterioris demum aetatis admisit solutiones, qualem illo in Prom. versu Aeschylum re vera scripsisse ut credam haud facile adducar. — Qua autem ratione versus sanetur, equidem dijudicare non ausim. Gaisfordii „*ὅστις ἀντέστη*“, probatum etiam a Porsono, refutavit Hermannus ad h. l.; quod protulit Lobeckius (ad Soph. Ai. 803) „suspicabar Aeschylum scripsisse „*πᾶσιν ὃς προὔστη θεοῖς*“, non probabile habet Dindorfius, tribrachyn istum Wunderlichii admittendum esse ratus [2]). Fortasse rectissime judicavit Hermannus, non exiguam habere veri speciem, quod Naekio

---

[1]) ubi duos adesse vidimus versus Philoctetae paullo liberiore habentes modo pedes solutos.

[2]) cfr. Dind. in Zimmerm. Diurn. 1836, pg. 5; praef. ad Poet. scen. Graec. pg. V; annot. ad Prom. 354.

in mentem venisset, inter „ὅς“ et „ἀντέστη“ esse lacunam unius versus. Ipse tamen Hermannus, quod in scholis publicis commendaverat, retinendum censuit „πᾶσι δ' ἀντέστη θεοῖς“. Quid recipiendum sit, discernant me peritiores!

Agam. 511, ubi in Med. „ἦλθες ἀνάρσιος“ legitur pessimis aperte numeris, num lectioni adscriptae jam in margine Askewii „ἦσθ' ἀνάρσιος“ et receptae ab omnibus fere editoribus praeferendum sit, quod Bambergerus (in Philol. VII, 153) ex cod. Flor. restituendum proposuit „ἦλθ' ἀνάρσιος“, maxime equidem dubito. Accuratius egit de hoc loco Hermannus in Opuscc. III, 105, qui conjecit, „ἦσθ'“ [1]), cujus interpretatione illud „ἦλθες“ in libros transiisse opinatus est.

Eum. 446 in libris scriptum est „...τὸ σὸν ἐφεζομένη βρέτας“, quod correxit Porsonus „ἐφημένη“... [2]). Aliam adhibuit medicinam ad hunc versum sanandum Wieselerus [3]), conjiciens „...ἐπεὶ (sive „ἔχων“) . . . . ἐφεζόμην“, quod elegantissime esse atque acutissime excogitatum negari nequit.

Denique de Prom. 680 cfr. quae supra exposuimus ad §. 5, 2.

Caput tertium.

De anapaestis, qui in Sophoclis fabularum senariis leguntur.

§. 30.

De anapaestis in primo trimetri loco adhibitis.

Etsi Sophoclem in universum pristinam illam in metris

---

1) de hac forma cfr. Elmsl. in „review of Hermann's Supplices“, ad v. 752 (Diar. class. XVII, pg. 51 sq.).

2) quamquam propter loci sententiam mihi videtur praeferenda conjectura Butleri et Burgessi „ἐφημένου“.

3) „Conjectanea crit. ad Aesch. Eum.“, pg. 98.

tractandis diligentiam, egregie ab Aeschylo ubique servatam, studuisse aequare concedendum, tamen, quae cujusque aetatis est vis, posteriore tempore minus eum curasse numerorum severitatem et elegantiam plus jam semel ex pedum ratione solutorum in Philocteta fabula apparuit. Idem comprobant anapaesti in dialogorum senariis ab eo admissi. Legem enim utramque, quam apud Aeschylum valentem observasse Hermannus sibi visus est, ut anapaestus in principio versus ex uno constet vocabulo, dein ut vitetur augmenti accessione conformatus, in ceteris fabulis omnino nusquam violatam, in Phil., quemadmodum in plerisque tragoediis Euripides, neglexit. Legitur enim v. 795 „τὸν ἴσον χρόνον“ ..., quod temere se correxisse, articulum omitti posse ratum [1]), ipse postmodo intellexisse videtur Hermannus. Cfr. Wunder, adverss. in Soph. Phil., pg. 25. — Alterius regulae laesae exemplum est v. 544 „ἐκέλευσ᾽ ἐμοί“, de quo cfr. Dind. ad h. l.; Herm., elem. doctr. metr. pg. 121. — Plures etiam in universum, quam Aeschylum, admisisse Sophoclem in prima senarii sede anapaestos statim apparebit, si omnia eorum exempla enumeravero.

1. Vocabulis trisyllabis efficiuntur anapaesti in initio versus: Ai. 1172 „ἱκέτης“; El. 7 „ἀγορά“; O. R. 18 „ἱερεῖς“, 27 „ἀγόνοις“, 1269 „περόνας“; O. C. 481 „ὕδατος μελίσσης“, 1160 „ποδαπόν“; τί“ (quo loco utroque anapaestus positione vocabulorum conformatur, ut Trach. 762 „ἑκατὸν προσῆγε“, et frgm. 417, 1 „ποδαπὸν τόν“), 1599 „ὑδάτων“; Trach. 372 et 424 „ἀγορᾷ“, 1095 „διφυῆ“; Phil. 94 „προδότης“, 470 „ἱκέτης“, 486 „ἀκράτωρ“, 544 „ἐκέλευσ᾽ ἐμοί“, 669 „ἀρετῆς“, 898 „ἀπορεῖς“, 941 „ὀμόσας“, 1425 „ἀρετῇ“; frgm. 108, 1 „γέρανοι“, 196, 1 „ἀρετῆς“, 302, 1 „ἁλίας“, 376, 1 „ψαλίδας, τιάρας“ [2]), 859, 1 „πενία“. Praeterea Ai. 730 „κολεῶν“, 1026 „φονέως“; O. C. 558

---

[1]) praef. ad Eur. Hec. pg. LV.

[2]) h. l. Bergkius conj. pro „ψαλίδας“ scribendum esse „ψέλλια.“

„πόλεως“; O. R. 362, 703, 721, Trach. 1207 „φονέα“ [1]), quamquam jure possis objicere, per synizesin haud ita raram pronuntiata esse illa vocabula tamquam bisyllaba [2]).

Conjecturis inferuntur in versuum principia anapaesti: El. 818 a Dawesio, proponente (miscc. crit. pg. 276): „ἔσομαι ξύνοικος“ pro Laur. scriptura „ξύνοικος ἔσομ' ἀλλά“, quae metro repugnet. Est hic locus eorum, qui plurimis conjecturis iisque maximam partem audacissimis, tentati sunt [3]). Fortasse acquiescendum in Bergkii emendatione „ξύνοικος ἔσομαι· μἀλλά“. Cfr. §. 8, 3.

Deinde O. R. 764 a Meinekio (anall. Soph. pg. 239) propositum est pro „δοῦλος“ scribi „ἄδολος“, quamquam eum non prorsus argumentatione mihi persuasisse, vulgatam lectionem esse mutandam, quin fatear facere nequeo.

Denique affero h. l. Trach. 549, ubi Campe (in Philol. XXII) legendum conjecit „θαλάμου μὲν ἄνθος, τότε“ ...; de quo versu cfr. quae diximus supra §. 7, 4. — Nomina propria trisyllaba in initio versus efficiunt anapaestum: El. 16, 1373 („Πυλάδη“), 670 („Φανοτεύς“), 702 („Λίβυες ζυγωτῶν“); O. R. 990 („Μερόπης“); O. C. 1319 („Καπανεύς“), 1594 („Περίθου“); Trach. 381 et 420 („Ἰόλη“), 1092 („Νεμέας“), 1220 („Ἰόλην“); Phil. 605 („Πριάμου“); frgm. 353, 2 („Λαπίθης“), 374, 1 („Ἀσία“).

Antigone fabula prorsus caret anapaestis in primo senarii loco collocatis.

2. Anapaestus conformatur initio vocabuli tribus plus syllabis continentis. Ai. 1302 „βασίλεια“; O. R. 20 „ἀγο-

---

[1]) nisi his ipsis locis α corripi sumas, id quod interdum fieri apud tragicos demonstrant Markl. ad Eur. Suppl. 37, Porson. ad Hec. 870, Seidler. ad Eur. El. 594. Cfr. Spitzneri prosod. Graec. §. 20, 2, a; Kruegeri Gr. Gr. I, §. 18, 5, ann. 4.

[2]) cfr. Lobeck. ad Soph. Ai. 104; Hermann. de emend. rat. Gr. Gr. pg. 30, 31; Boeckh. de metr. Pind. lib. I, cp. 10, pg. 54.

[3]) Kolster (in Philol. V, pg. 612) „ξυνὴ ξύνοικος“; Heimsoeth. („die Wiederherstellung der Dramen des Aeschylos“ pg. 211) „κείνοις ξύνοικος“; alii alia, quae congessit O. Jahnius ad h. v.

ϱαῖσι", 41 „ἱκετεύομεν", 256 „ἀκάϑαϱτον", 1427 „ἀκάλυπτον"; O. C. 1327 „ἱκετεύομεν"; Trach. 253 „ἐνιαυτόν", 879 „σχετλιώτατα"; Phil. 742, 745, 923 „ἀπόλωλα", 749 „ἀπάμησον", 939 „ἀνακλαίομαι", 1228 „ἀπάταισιν"; denique frgm. 343, 5 „συνοπάζεται" (nonnulli quidem libri deteriores „συμπλάζεται") et 354, 1 „ἀπέλαστον". Synizesi nescio an coalescant vocales in Phil. 308 „ἐλεοῦσι" et 967 „ἐλέησον", ut pronuntientur fere tamquam scriptum esset „ἐλοῦσι, ἐλῆσον". — In O. R. 672, quin „ἐλεινόν" sit scribendum pro codd. „ἐλεεινόν", nemo, opinor, post Porsoni disputationem (praef. ad Hec. VII) dubitat.

Haud pauci porro anapaesti efficiuntur nominum propriorum syllabis, ut Ai. 463 et 569 „Τελαμῶνι", 860 „Σαλαμῖνος", 1045 „Μενέλαος", 1091 „Μενέλαε", 1224 „Ἀγαμέμνον' ἡμῖν"; El. 2, 695, 1355 „Ἀγαμέμνονος"; O. C. 1397, 1414 „Πολύνεικες"; Trach. 1097 „Ἐϱυμάνϑιον"; Phil. 549 „Πεπάϱηϑον" et 794 „Ἀγάμεμνον, ὦ Μενέλαε", cujus versus numeri quum mali visi essent Hermanno, scribendum proposuit (praef. ad Hec. LXII) „πῶς ἂν Ἀγάμεμνον καὶ Μενέλεως ἀντ' ἐμοῦ". Verum tamen maxime vereor, ne pejores etiam hac conjectura numeros nactus sit versus, cujus primum et quartum pedem formatos illo modo ferri vix posse ex iis, quae supra exposuimus (cfr. §. 21 et §. 10, 1) elucet. Melius videtur, quod Elmsleyus proposuit dubitanter [1]) „Μενέλαος Ἀγαμέμνον τε, πῶς ἂν ἀντ' ἐμοῦ", quamquam ne eam quidem correctionem necessariam esse putaverim, quum laxiores paullo et a pristina severitate recedentes numeri in Philocteta fabula non sint insoliti neque habeant multum offensionis. Cfr. Wunder., adverss. in Soph. Phil., pg. 44. — Denique huc pertinent frgm. 478, 3 „Ἀχέϱοντος" et 825, 2 „Ὑπέϱεια". —

3. Anapaestos ex duobus tribusve vocabulis compositos in universum abhorrere a Sophoclis metri tractandi arte et elegantia, — modo unum Philoctetae excipiamus exemplum

---

1) in „Edinburgh Review", 1811, no. XXXVII, pg. 70.

satis certum, de quo in initio egimus hujus paragraphi, — supra jam indicatum. Nequeo enim mihi persuadere, in Ai. 571 re vera profectam esse a Sophocle scripturam „μέχρις οὗ μυχούς“, ab Hermanno ceterisque hominibus criticae peritissimis jure, opinor, tentatam [1]). Quem versum posteaquam Hermannus (praef. ad Hec. pg. LXIV) sanavit emendatione „ἔστ᾽ ἄν“, satis addens sententiae graves causas, Elmsleyus lenius esse remedium putavit, totum ejicere versum, tamquam ab interpolatore adscriptum, eique adstipulati sunt Wunderus et Dindorfius. Attamen quominus ei opinioni accedamus videtur id maxime impedire, quod bis citatur ille versus a Suida s. v. μέχρις; et parum profecto probabilis est causa, quam cur adscriptus sit a librario versus attulit Dindorfius „ut accuratius definiretur, quod praecedit, εἰςαεί“. Cfr. Lobeck. ad h. v.

Dein El. 4 quod praebet unus deterioris cod. Paris. (2884, quem siglo „e“ denotavit Jahnius), „τόδε γὰρ παλαιόν“ respuendum esse vix est, quod addam. — Neque fragmenti 355, 1 initium ferri potest „ταχὺ δ᾽ αὐτό“, praesertim quum haec vocabula nullo prorsus nexu inter sese conjuncta sint. Jure igitur videtur conjecisse Meinekius „τάχ᾽ αὐτό“.

Contra in frgm. 304, 2 „ὑπὸ τοῦ δέατος“ et 307, 1 „ὅ τι ἄν τι“ propter metrum non mutandam esse lectionem traditam, quum sint versus dramatis satyrici, liberioribus, ut notum, usi numeris, persuasum habemus.

§. 31.

De anapaestis in ceteris pedibus senarii admissis.

1. Quum alia ratione versui inseri non potuerint, passim inveniuntur in altera, tertia, quarta, quinta sede nomina propria ita collocata, ut anapaestos efficiant. Sic in tertio pede O. C. 1317 „Ἱππομέδων“, 1320 „Παρθενο-

[1]). cfr. de Leutsch „Grundriss der Metrik“, pg. 67, annot. ad 20.

παῖος"; nomine „Ἀντιγόνη" bis quartus locus accipit anapaestum, O. C. 311 et 507; ter quintus: Ant. 11; O. C. 1 et 1415. — O. R. 285 et 300 „Τειρεσίαν" in quarta sede; idem occurrit Ant. 991 et 1045, ubi in quintam infert anapaestum. „Οἰχαλίαν" efficit anapaestum in quarta sede Trach. 354, in quinta ibid. 478; „Ἀμφιάρεως" in quarta O. C. 1313, „Εὐρυδίκην" in quinta Ant. 1180. — Jure vero reprehendendum esse censeo, quod Phil. 794 vox „Μενέλαε" ita collocata sit, ut anapaestus evadat in tertio trimetri loco, quum et alia verborum collocatione, et altera ejus nominis forma, non minus, quam illa, usurpata a tragicis, „Μενέλεως" facillime evitari potuisse anapaestum quivis intelligat. — Cfr. §. 30, 2.

2. Ne quid omisisse dicar, meum esse censeo, h. l. rursum afferre exempla anapaestorum in sedibus illicitis senarii verbis conformatorum appellativis, quotquot errore in Sophoclis libros manu scriptos invasisse videntur. — Ut primo loco *alterum* senarii pedem respiciamus, legitur Ai. 783 in Laur. „οὐκ ἔστιν ἀνὴρ ἐκεῖνος", rectissime quod jam dudum correxere „ἁνὴρ κεῖνος" restituentes.

Deinde O. R. 322 „οὔτ' ἔννομον εἶπας", jam in apographis compluribus mutatum in „οὔτ' ἔννομ' εἶπας". —

O. C. 557 Reisigius egregie Laurentiani „θέλω τι ἐρέσθαι" emendavit scribens „θέλω 'περέσθαι" [1]).

Ant. 887 pro „ἀφεῖτε μόνην" jam pridem jure correctum est ab hominibus doctis secundum unius apographi lectionem „ἄφετε μόνην", quamvis disertis dicat verbis Triclinius „ἀφεῖτε χρὴ γράφειν, οὐκ ἄφετε . . . τὸ ἀφεῖτε δὲ καὶ ἐν τινὶ τῶν παλαιῶν εὕρηται βιβλίων." Cfr. §. 7, 1. — Non pluris habenda est scholiastae auctoritas adnotantis ad Trach. 879, ubi codd. perverse exhibent „σχετλιώτατα πρός"...: „σχετλιώτατα ἦλθε πρὸς τὴν ἀναίρεσιν· τουτέστιν ὡς ἄν τις ἰδὼν ἢ ἀκούσας σχετλιάσειε τὴν πρᾶξιν." Hermannus conjecit „σχετλίως τὰ πρός γε πρᾶξιν"; probabilius etiam Phil.

---

[1]) litteris fere omnino non mutatis (ΤΙΕΡΕΣΘΑΙ—ΠΕΡΕΣΘΑΙ).

Wagner „σχετλιωτάτην γε πρᾶξιν". — In Phil. 10 pro Laurentiani lectione „κατείχετ' ἀεὶ πᾶν" ex compluribus apographis rectissime restitutum esse „κατεῖχ' ἀεί", vix est, quod demonstretur. Neque opus est disputatione de medela lata versui 1231 „τί χρῆμα δράσεις", ubi Laur. ceterique libri fere omnes perverse praebent „τί χρῆμα τί δράσεις". — De frgm. 304, 2 cfr. supra §. 8, 1. —

Quatuor exempla aperte corrupta reperiuntur in libris anapaesti in *tertio* pede admissi: O. R. 248 „κακὸν κακῶς νιν ἄμοιρον", de quo loco delego ad Porsoni praef. Hec. p. X. Cfr. §. 9, 3. — Deinde O. C. 1199 Laurentiani „οὐχὶ βίαια", in apographis plerisque mutatum metri causa in „οὐ βίαια", emendavit Musgravius Hesychii glossa usus in „οὐχὶ βαιά", quae sola lectio apta est et convenit loci illius sententiae. — Tum frgm. 23, 1, servatum a Schol. ad Pind. Pyth. II, 54 „πῶς δῆθ' ὁδουρὸν ὅμοιος", cujus quidem versus emendatio satis certa nondum inventa esse nec facile inveniri posse videtur. Valckenaerius pro „ὅμοιος" scribendum esse censuit „οἷος", quam Nauckius conjecturam parum probabilem dicens ipse proposuit „ὁδουρῶν σμῆνος". De quibus nos dijudicare supersedemus. —

Denique frgm. 264, 2 „τὸν ἀντίπλαστον ἔχει νόμον", quem locum correxit Porsonus media vocabula transponens (praef. ad Hec. pg. XI). Cfr. §. 22, 5.

Octo deinde praesto sunt loci mendose in libris scripti, quibus anapaestus illatus est in *quartam* senarii sedem. Ai. 812 „σώζειν θέλοντας ἄνδρα γ' ὃς ἂν σπεύδῃ θανεῖν", quem versum jam in Laur. ab altera manu correctum invenimus deleta particula ἂν atque indicativo restituto „σπεύδει" [1]. — O. C. 44 „ἀλλ' ἵλεῳ μὲν τόνδ' ἱκέτην" correxit editor Londin. a. 1747, mutans „τόνδ'" in „τόν". Cfr. §. 22, 8. — De v. 475 ejusdem fabulae supra disputatum est §. 22, 2. — Ant. 387, quod legitur in Laur. „ξύμμετρος

---

[1]) Dindorfius ne nimis temere utpote spurium ejecerit hunc versum, vereor quam maxime. Cfr. G. Wolffium ad h. l.

ἐξέβην τύχῃ". ex glossemate forsan illatum, recte, opinor, emendavit διορθωτής scribens „προὔβην". Cfr. Dindorf. ad h. v. (edit. Oxford. 1860). — De Trach. 292 „παρόντων τῶν δὲ πεπυσμένῃ" cfr. Elmsl. in „Edinb. Review", 1811, no. XXXVII, pg. 66 [1]). V. supra §. 22, 4. — In v. 736 ejusdem fabulae Laurentiani „μητέρα σ', ἥ" in plerisque apographis correctum esse in „μητέρ' ἥ" docet Dindorfius ad h. l. — Versum 1096 „θηρῶν, ὑβριστὴν, ἄνομον, ὑπείροχον βίαν" emendavit Bentleyus, pro ionica adjectivi forma rectissime reponens unice Atticam „ὑπέροχον". — Denique Phil. 491 „Τραχινίαν τε δειράδα καὶ τὸν εὔροον", qui versus revera crux quaedam criticorum dici potest, Toupius, anapaestum illum haud ferendum remoturus, proposuit „τε δέραδα", quamquam quibus locis talem vocabuli formam reperisset, non addidit. Heathii transpositio „δειράδα τε καί", quum prorsus insolitum solutionis ejus inferat in trimetros Sophocleos (cfr. §. 22, 1.), ne sit flocci pendenda, jure verearis [2]). Pierson (apud Musgrav. exercitt. Eurip., pg. I.) conjiciens „Τραχινίαν τε δειράδ' ἤ", quod Porsonum quoque legendum existimare dicit Elmsl. [3]), fortasse verum vidit, nisi mavis Meinekio assentiri, qui (in Philol. XX, 169) „τε σπιλάδα καὶ" proposuit, in anall. Soph. pg. 315 „τε λιθάδα" vel „τε λιχάδα" ex Hesychii glossa restituendum esse studuit comprobare. De his judicium ferre non ausim. —

Denique quinque restant in libris loci, qui in *quinto* senarii pede mendose exhibeant anapaestum. Ai. 112 „τἄλλ' ἔγωγέ σ' ἐφίεμαι", quod versus vitium in plerisque jam libris recentioribus sublatum est praebentibus „ἐγώ σ' ἐφίεμαι". Neque aliter res se habet in v. 565 „ἀσπιστῆρες, εἰνάλιος λεώς", quae adjectivi εἰνάλιος forma jam ea de

---

1) „Read with Toup (? Scaliger, — cfr. §. 22, 4) „τὰ δὲ πεπυσμένῃ". Mr. Wakefield proposed „τῶνδ' ἐπυσμένῃ", which reading Mr. Erfurdt justly denominates „horribile et inauditum".

2) Fix. ad Eur. El. 13 „nullo modo probare potuit Sophocles versum, qualem h. l. fecit Heathius".

3) in „Edinb. review", l. l. pg. 67.

causa ferri non debet, quia Ionum tantum est. Recte igitur, nisi fallor, jam dudum restitutum „ἐνάλιος λεώς“. Tum in O. C. 1099 „ὢ πάτερ ὢ πάτερ“, qualia vitia compluries in his ipsis versibus inveniri in codicibus apparet ex Dindorfii annot. crit. ad h. l., delendum esse alterum „ὢ“ quivis viderit. — Ant. 263 „ἀλλ' ἔφευγε τὸ μὴ εἰδέναι“ violentius, quam rectius ex mea sententia mutavit Dindorfius in „ἔφευγε πᾶς τὸ μή“. Putaverim, Schneidewini emendatione optime tolli loci vitium, articulum τὸ delentis, nisi forte censes praestare Porsoni conjecturam [1]) „ἀλλ' ἔφυγε τὸ μὴ εἰδέναι“, id quod equidem mihi persuadere nequeo. Nam ut omittamus, parum apte videri collocatum aoristum post imperfectum antecedens, num apud Sophoclem ferri possit tribrachys istius modi in quarta sede, maxime dubium. Cfr. quae exposuimus ad §. 10, 1. [2]) —

In frgm. denique 398, 2, qui versus in Stob. Floril. 104, 3 ita legitur „νύξ ἐστιν εὖ παθόντα εἶθ' ἑτέρα θανεῖν“ non possum quin consentiam cum Nauckio profitenti „*non expedio*“. Illud autem pro certo habeo, quod facile mihi ab uno quoque conceditur, qui quae supra accuratius studui exponere, meminerit, anapaestum illum nullo pacto tolerandum esse in quinta ejus senarii sede.

Caput quartum.

De anapaestorum usu in senariis Euripidis.

§. 32.

De anapaestis in prima trimetri sede admissis.

Quem ad modum Euripides in tribrachis dactylisque conformandis et adhibendis in senariis multo majore usus

---

[1]) quam protulit ad Med. v. 139, pg. 17.

[2]) M. Seyffert conj. „ἀλλ' ἔφη τὸ μὴ εἰδέναι“, H. Keck (progr. Slesvic. 1866, pg. 25) „ἀλλ' ἕδρα τὸ μὴ εἰδέναι“.

esse reperitur licentia, quam qui sermonis ubique granditati numerorumque nobilitati studuerunt Aeschylus et Sophocles, sic etiam in anapaestis iamborum loco admittendis justo laxior et negligentior haud raro dicendus est. Etsi enim judicium de versibus Euripideis prolatum ab Hermanno (praef. ad Eur. Hec. pg. LXII [1])) nimis censemus severum et acre, certe non in omnes omnino ejus fabulae extendendum, tamen negare nequimus, multa eum novasse, neque vero ita, ut major inde existeret numerorum elegantia. — Sed singula perpendamus!

1. Plurima suppeditant versus Euripidei exempla anapaestorum vocabulo trisyllabo in trimetri initio conformatorum. Sic Heracl. 33, 94, 123, 345 „*ἱκέται*“, 224 et 246 „*ἱκέτας*“, 417 „*ἱκέταις*“; Med. 692 „*ἀδικεῖ*“, 710 „*γονάτων*“; Alc. 10 „*ὁσίου*“, 25 „*ἱερῇ*“, 75 „*ἱερὸς γάρ*“, 344 „*στεφάνους*“, 376 „*δέχομαι*“, 796 et 832 „*στεφάνοις*“; Rhes. 799 „*ὀδύνῃ*“, 842 „*ξενίαν*“; Andr. 613 „*πολιούς*“, 818 „*θανάτου*“, 952 „*ὑγιὲς γάρ*“, 961 „*φυλακάς*“, 1098 „*ἰδίᾳ*“, 1141 „*ἱέρακ᾽ ἰδοῦσαι*“. Eodem modo comparati Hec. 224, 485, 742, 794, 903, 1016, 1120; Suppl. 29, 35, 40, 91, 126, 129, 492, 522, 540, 557, 717, 1042, 1063, 1167, 1211, 1215; El. 69, 310, 359, 376, 496, 497 [2]), 507, 508, 849, 980, 1001, 1028, 1099 [3]), 1126; Herc. fur. 19, 83, 304, 342, 347, 458,

---

[1]) „nullo pacto fracti ac perpluentes Euripidis versus ad Aeschyli sonoram grandiloquentiam aut Sophoclis nobiles numeros aequiparari possunt. Qua re si hic quaedam sibi indulsit, quae peritiores vitare sciebant, satis habebimus eum reprehendere, quod invitis Musis ad poesin accesserit.“

[2]) Codd. h. l. „*παλαιόν τε*“, qualis diphthongi *αι* correptio, etsi rara in iambis, tamen non prorsus insolita est apud tragicos. Cfr. Spitzner, prosod. Graec., §. 6, 5. b.; Kruegeri Gr. Gr. II, §. 3, 3. ann. 1. a. Hermanni elem. doctr. metr. I, cp. 10, 9 (p. 50); Herm. ad Eur. Hec. 64. Gaisford ad Hephaest. cp. I, 7. — Supervacaneum igitur videtur Scaligeri et Piersoni „*πολιόν τε*“.

[3]) quem versum incommodum h. l. habet Nauckius. Cfr. Tragg. Graec. frgm. pg. 399 (ad Eurip. frgm. 467).

549, 715, 835, 851, 962, 1329, 1426; Troad. 21, 419, 509, 672, 674, 966, 1131, 1144, 1183, 1197, 1223, 1244; Iph. Taur. 83, 246, 258, 284, 334, 356, 363, 481, 757, 774, 776, 793, 959, 981, 1014, 1033, 1061, 1070, 1081, 1155, 1388, 1461; Ion. 20, 55, 242, 301, 355, 440, 620, 673, 853, 1035, 1162, 1285, 1329, 1381, 1386, 1596; Hel. 15, 38, 45, 281, 283, 609, 705, 707, 750, 769, 786, 902, 956, 1042, 1206, 1208, 1211, 1219, 1232 [1]), 1648, 1677; Phoen. 440, 542, 569, 584, 699, 861, 926, 958, 971, 996, 1107, 1207, 1599, 1707; Iph. A. 508, 620 (qui versus unus est ex iis, quos lacunae explendae causa ab interpolatore additos esse censent homines docti), 921, 931, 982, 996, 1015, 1112, 1156, 1162, 1200, 1472, 1587 [2]); Cycl. 109, 123, 243, 249, 272, 276, 292, 300, 306, 307, 393, 444, 455, 558, 569, 643, 671; Bacch. 22, 33, 177, 201 (si Valckenaerii recipiamus conjecturam „*πατρίους*“ scribentis pro codicum lectione „*πατρός*“ non satis quidem, ut videtur, apta loci sententiae), 224, 238, 260, 305, 324, 455, 696, 700, 703, 726, 749, 800, 950, 1339; Or. 6, 115, 135, 138, 228 [3]), 315, 368, 383, 400, 445, 450, 453, 467, 501, 523, 529, 532, 538, 547, 570, 646, 647, 648, 905, 921, 924, 1030, 1044, 1075, 1228, 1239, 1332, 1585, 1641; denique frgm. 55, 3; 138, 1; 233, 2; 246, 1; 267, 2; 287, 5 et 13; 358, 1; 362, 25 et 45; 364, 11; 392, 4; 470, 5; 495, 4; 547, 1 et 4; 624, 1; 641, 2; 642, 3; 645, 3; 734, 1; 736, 6; 790, 1; 851, 1; 1016, 5; 1017, 1; 1068, 10; 1074, 2 (si quidem Nauckii comprobaverimus conjecturam scribentis „*προφάσεις καλὰς δίδωσιν*“ pro „*πολλὰς προφάσεις*“, quod aperte vitiosum est). —

---

1) „*χρονία*“ ex Barnesii conjectura; cod. „*χρόνια*“ quod et ipsum per metrum quidem patet licere.

2) de v. 824, ubi in codd. „*προσέβης ἄν*“ cfr. Fix. praef. ad Eur. fabulas (edit. Paris.) pg. XX.

3) „*μανίας*“, quod Nauckius quidem minime gravi, opinor, nisus causa mutavit in „*μανιάς*“, ut tribrachys evaserit.

Saepissime praeterea nomina propria efficiunt anapaestum in versus initio. Sic nomen „Ἑλένη“ Andr. 248, 602, 680, 899; Hec. 265, 442; El. 1063, 1083, 1280; Troad. 35, 357, 862, 877; Iph. T. 14, 521; Hel. 22, 75, 160, 306, 413; 470, 563, 873, 926, 1176, 1392, 1571, 1674; Iph. A. 51, 76, 488, 683, 1168, 1237; Cycl. 281; Or. 57, 81, 117, 246, 520, 1105, 1130, 1142, 1183, 1191, 1298, 1579, 1629. Nomen „Πυλάδης“: El. 82, 821, 847, 1249, 1284; Iph. T. 69, 95, 249, 285, 321, 493, 657, 777, 1046; Or. 33, 406, 726, 850, 880, 950, 1065, 1207, 1620, 1658. Nomen „Ἑκάβη“: Hec. 31, 53, 217, 299, 663, 726, 737, 851, 892, 954, 1043, 1145, 1287; Troad. 235, 462, 1123; frgm. 63, 1. Deinde legitur Hipp. 454 nomen „Σεμέλη“, quod occurrit etiam Bacch. 3, 28, 41; „Ἀκάμας“ Heracl. 119; „Πελίᾳ“ Med. 6; „Πελίαν“ v. 486; „Ἑκάτην“ v. 396, ut frgm. 959, 1 „Ἑκάτης“; Alc. 498 „Ἄρεος ζαχρύσου“, 844 „Θάνατον φυλάξω“, 1156 „Σθενέλου“; deinde „Πριάμου“ Rhes. 880; Andr. 3; Hec. 4; Troad. 1261; Hel. 35; „Μενέλα᾽“ Andr. 550; Troad. 1029; „Ἑλένῳ“ Andr. 1245; „Καπανεύς“ Suppl. 861 et Phoen. 180, 1129, 1172; „Στροφίῳ“ El. 18; Iph. T. 60; „Μεγάραν“ Herc. fur. 14; „Μινύας“ v. 50, „Φολόην“ v. 182, „Χθονίας“ v. 615; deinde Troad. 277 „Ἰθάκης“, v. 711 „Δαναῶν“, ut Phoen. 1226; Iph. A. 1030; frgm. 230, 8. Troad. 1208 „Φρυγίων“; Iph. T. 357 „Μενέλεων“, ut Or. 18. Iph. T. 537 „Θέτιδος δέ“, 807 „Πέλοπός γε“, 823 „Πέλοπος παλαιάν“; Ion. 272 „Κέκροπός γε“, 1579 „Τελέων“ [1]); Hel. 7 „Ψαμάθην“, 88 et 92 „Τελαμών“, ut frgm. 534, 1; v. 404 „Λιβύης“; Phoen. 28 „Πολύβῳ“, 45 „Πολύβου“, 160 „Νιόβης“, ut frgm. 453, 2. Cycl. 100 „Σατύρων“; Bacch. 751 „Ὑσίας τε“, frgm. 14, 3 „Ἀθάμας τε“, 519, 1 „Καλυδών“, 534, 4 „Κυπρίδος δέ“. —

2. Haud multo minor, quam quos modo tractavimus, anapaestorum est numerus apud Euripidem, vocabuli initio

---

[1]) nisi h. l., ut Cycl. 293 „Μαλέας“ et Or. 362 „Μαλέᾳ“ synizesin statuas.

tribus plus syllabis continentis conformatorum. Legitur ea solutio bis in Hipp., v. 37 „ἐνιαυσίαν“ et v. 83 „ἀνάδημα“; semel in Med., v. 971 „ἱκετεύετ᾽ ἐξαιτεῖσθε“; semel in Rhes., v. 765 „φυλακαῖσι“; bis in Andr., v. 673 „ἀδικουμένη“ et 1055 „βασίλεια“. Quinquies deinde occurrit in Hec., v. 254, 270, 352, 607, 766; ter in Suppl., v. 407, 556, 907; sexies in El., v. 429, 502, 691, 904, 936, 1085; novies in Herc. fur., v. 68, 308, 509, 592, 633, 716, 1257, 1332, 1361; septies in Troasin, v. 341, 779, 942, 996, 1030, 1170, 1232; octies in Iph. Taur., v. 109, 276, 475, 498, 526, 613, 664, 1194: tredecies in Ione: v. 297, 310, 325, 379 [1]), 438, 647, 670, 982, 983, 1144, 1165, 1169, 1299; decies in Hel., v. 48, 54, 70, 77 [2]), 550, 775, 1012, 1236, 1435, 1620 [3]); octies in Phoen., v. 74, 532, 536, 566, 922, 943, 1125, 1133; undecies in Iph. A., v. 49, 436, 437, 507, 509, 527, 718, 738, 922, 1021 (nisi hunc versum esse proscribendum Dindorfio assentiamur), 1216; undecies in Cycl., v. 17, 35, 194, 287, 303, 383, 535, 561, 587, 598, 690; decies in Bacch., v. 40, 60, 182, 476, 677, 745, 807, 967, 1258, 1295; decies septies in Or., v. 10, 21, 37, 230, 232, 249, 300, 306, 310, 417, 558, 577, 641, 655, 922, 1048, 1137. — Praeterea undecies obviam fit haec solutionis forma in fragmentis: 162, 2; 176, 4; 200, 4; 353, 1; 362, 49; 364, 22; 457, 1; 504, 6; 522, 5; 637, 3; 966, 1. —

In his locis enumerandis rationem non habui versuum, in quorum initio nomina sunt propria collocata, quorum priores tres syllabae efficiunt anapaestum. Quorum numerus quod haud exiguus est, non admodum mireris. Nomen

---

[1]) in hoc enim versu „ἀνόνητα“ ex emendatione H. Stephani cum Nauckio esse scribendum pro codicum lectione inepta „ἄκοντα“ consentimus; Wakefieldus conj. „οὐκ ὄντα“, quod recepit Badhamius.

[2]) quem versum aperte corruptum in libris correxit Reiskius, pro „ἀπώλλυσ᾽ ἵν᾽ εἰκοῦς“ scribens „ἀπόλαυσιν εἰκοῦς“.

[3]) in v. 992 recte nunc legi „ἐλεινός“ pro „ἐλεεινός“, restitutum a L. Dindorfio, vix est, quod commemorem. Cfr. Porson., praef. ad Hec., p. VII. —

„Ἀγαμέμνων“ invenitur in senarii principio: Andr. 884, 892, 1061, 1090; Hec. 34, 504, 725, 738, 752, 1177, 1187, 1198, 1233; El. 23, 33, 323, 392, 488, 763, 833, 1079, 1238; Iph. T. 17, 238, 801, 1158, 1290, 1331, 1362, 1398, 1474; Hel. 392; Iph. A. 316, 415, 834, 1104, 1210, 1405; Or. 360, 376, 437, 853, 1167, 1234; frgm. 584, 1 et 706, 1. Nomen „Μενέλαος“ Andr. 63, 152, 333 [1]), 424; El. 1043, 1279; Troad. 863, 895, 907, 1005, 1033; Iph. T. 4, 929; Hel. 116, 504, 597, 700, 858, 1032, 1196, 1517; Iph. A. 71, 77, 303; Or. 20, 65, 68, 241, 366, 471, 481, 622, 632, 1057, 1196, 1301, 1339, 1351, 1568, 1625, 1681. Nomen „Διόνυσος“ Cycl. 436; Bacch. 2, 27, 220, 294, 466, 777, 825, 849, 860, 1079, 1296, 1341, 1344; frgm. 177, 2; 752, 1. Nomen „Πολύδωρος“ Hec. 3, 682, 987, 1133; Phoen. 8; „Ἰόλαος“ Heracl. 30, 89, 647, 845; „Πολυμήστωρ“ Hec. 7, 968, 1116; „Διομήδης“ Rhes. 565, 622; „Θεοκλύμενος“ Hel. 9, 1168; „Πολυνείκης“ Phoen. 458, 1250; „Πολύφημος“ Cycl. 25, 91; „Λακεδαίμων“ Hel. 474, 495; Iph. A. 73; „Σαλαμίς“ Hel. 150; frgm. 534, 3; „Ἀσιατίς“ Andr. 1; Troad. 1219; „Τελαμώνιος“ Hel. 848; „Περικλύμενος“ Phoen. 1157; forma „Ἀθάμαντος“ frgm. 403, 2; „Μελέαγρε“ frgm. 521, 1; „Θετίδειον“ Andr. 20; „Μαραθῶνα“ Heracl. 32; „Ὁμολωΐσιν“ Phoen. 119; „Ἰθακήσιοι“ Cycl. 277; „Ἀχέροντα“ Bacch. 1362; „Καλυδῶνος“ frgm. 562, 2.

3. Quam semel, idque in Phil. fabula, admisisse licentiam vidimus Sophoclem (v. §. 30, init.), eandem saepius occurrere apud Euripidem, negligentiorem in metro tractando, non mirum. Quo modo comparatum est exemplum e Sophocle petitum, ut anapaestus efficiatur voce monosyllaba et bisyllaba, quae arcte cohaereant oportere videtur, ejusdem modi tria suppeditant fabulae Euripideae: Iph. A. 646 „παρ᾽ ἐμοὶ γενοῦ“, 1199 „ἐν ἴσῳ γὰρ ἦν“, Bacch. 502 „παρ᾽ ἐμοί· σὺ δ᾽ ἀσεβής“.

---

[1]) quo quidem loco nomen illud interpolatori deberi visum est Kirchhoffio.

Contra inveniuntur etiam, qui ex bisyllabo vocabulo et monosyllabo compositi sint anapaesti; ita Hel. 1234 „ἐπὶ τῷ; χάρις γάρ“; Cycl. 183 „περὶ τοῖν σκελοῖν“, 229 „ὑπὸ τοῦ; τίς εἰς“, 590 „ἄγε δή“, 630 „ἄγε νῦν ὅπως“; Bacch. 334 „παρὰ σοὶ λεγέσθω“ [1]).

Frequentius etiam ea obviam fit anapaesti forma apud Euripidem, ut breves expressae sint vocabulo bisyllabo, longam efficiat initium ejus, quod sequitur. Qua solutione ne sex illae quidem fabulae, quas severioris esse stili saepius designavimus, prorsus vacant; legitur enim in Alc. 375 „ἐπὶ τοῖσδε παῖδας“, cujus loci inde fortasse excusatio quaedam petenda est, quod summa animi commotione loquitur Alcestis. — Dein El. 1030 „ἐπὶ τοῖσδε“; Herc. fur. 940 „ἐπὶ τοῖσι νῦν“; Hel. 838 „ἐπὶ τοῖσδε τοίνυν“; Phoen. 1240 „ἐπὶ τοῖσδε δ' ἐσπείσαντο“; Cycl. 230 „ὑπὸ τῶνδε“, 445 „ἐπὶ κῶμον“; Bacch. 1247 „ἐπὶ δαῖτα“; Or. 898 „ἐπὶ τῷδε“, 1336 „περὶ τοῦ γάρ“ [2]). —

Respicientes haec omnia anapaestorum exempla, intelligimus ubique arctissime, quae efficiant solutionem, vocabula juncta esse, plerumque praepositione aliqua primum obtinente locum, nullo modo separanda a substantivo sive pronomine, quod sequitur. Quae quum ita sint, jure dubitare nobis videmur, num ferri possit, quod legitur in frgm. 38, 2 „λάλος ἐστὶν οὗτος“ et frgm. 600, 1 „τρόπος ἐστὶ χρηστός“. Cujus versus ipsius etsi non probabilis in promtu est emendatio nec facile inveniri posse videtur, quia

[1]) quem versum spurium pronuntiavit Nauckius; — solutio quidem eam suspicionem non tanto opere videtur augere, quum non audacius sit conformata, quam ceterae, quas attuli. —

[2]) Hartungius eandem in Iph. Taur. intulit solutionem, v. 335 „ἐπὶ χέρνιβας“ pro codicum lectione aperte cassa „τε χέρνιβας“. Qua in solutionis forma licet non magno opere offendamus, exemplorum memores supra allatorum, nescio tamen an verum viderit Valckenaerius pro „τε“ emendans „ἐς“, quod quomodo excidere potuerit in libris, facile intelliges, si antecedere „κρατΟC“ memineris. — Musurus dederat „ὡς“. —

desunt, quae antecessere, id tamen pro certo dicere ausim, versum, ut nunc legitur, correctione egere propter illam ipsam solutionis formam. — Alterum locum egregie emendasse existimo Coningtonem, qui scribendum esse censuit „λάλος τις οὗτος", quae conjectura quam probabilis sit, si litterarum mutatio respicitur, nemo non videt. —

§. 33.

De anapaestis in ceteris locis senarii admissis.

1. Quod nomina propria passim efficiunt anapaestos in altera, tertia, quarta, quinta sede, — a quibus proprie quidem prorsus excludendi sunt, — de ea re non vituperandus videtur Euripides, si nominum forma ejus est modi, ut aliter in versum inseri nequeant. Itaque negligentiam non esse crimini dandam poetae, nemo non videt, si anapaestos intulit in *alteram* sedem collocandis nominibus „Ἰφιγένεια" in Iph. T. 771, 1160, 1420; Iph. A. 90, 416, 628; Or. 23; „Ἐριχθόνιος" Ion. 21, 268, 1429; „Ἑρμιόνη" Or. 1314 [1]); in *tertiam* sedem nominibus „Ἑρμιόνη" Andr. 86; „Ἀμφιτρύων" Herc. fur. 2; „Ἱπποδάμεια" Iph. T. 825; „Ἰφιγένεια" Iph. T. 1314; „Ἀμφιάραος" Phoen. 1111; in *quartam* nominibus „Ἀστύαναξ" Andr. 10; „Ἑρμιόνη" Andr. 889; Or. 65, 107, 112, 659, 1184, 1193, 1211, 1654, 1671; „Ἀμφιάραος" („Ἀμφιάρεως") Suppl. 158; Phoen. 173; „Ἱππομέδων" Suppl. 881; „Αἰγιαλεύς" ib. 1216; „Οἰχαλία" Herc. fur. 473; „Ἀμφιτρύων" v. 701; „Ἀνδρομάχη" Troad. 1130 et 1140 [2]); „Αἰγικορῆς" Ion. 1581; „Ἀντιγόνη" Phoen. 88, 756, 1264, 1323 (quem pro spurio habet Kvičala in „Oestr. Zeitschr." IX, 607 sqq.), 1465 (quem proscripsit

---

[1]) de nomine „Παρθενοπαῖος" in Suppl. 889 cfr. quae supra indicata sunt §. 5, ann.

[2]) Nomen „Λευκοθέα" Iph. T. 270 in hunc numerum non refero, utpote quod forsan jure quis objiciat per synizesin pronuntiatum esse velut trisyllabum. —

Valckenaerius ad h. l.), 1636; „Παρθενοπαῖος“ ib. 150 et 1106; „Τειρεσίας“ v. 767, 845, 1590; Bacch. 186, 210, 255, 330, 1224; „Αὐτονόη“ Bacch. 681, 1130, 1228; „Ἁρμονία“ ib. 1332, 1338, 1357. Neque haerebis in eo, quod in *quinto* pede posita invenias nomina „Ἀνδρομάχη“ Andr. 5, 806, 1243; „Ἑρμιόνη“ Andr. 29, 804; Iph. A. 1201; „Ἁρμονία“ Phoen. 7; „Ἀντιγόνη“ ib. v. 58, 1476, 1588; „Ἱππομέδων“ v. 126, 1115; „Τειρεσίας“ v. 770; Bacch. 173, 249; „Αὐτονόη“ Bacch. 230. — Quae nomina omnia, si quidem ea inferre voluit in versum poeta, efficerent anapaestos oportuisse vix quisquam negabit. —

Restant autem loci perquam multi, quibus inveniuntur anapaesti nominibus conformeti propriis, quae alio modo inseri potuisse versibus haud difficile est intellectu. In his igitur quod non vitaverit solutionem illam, jure mihi videtur reprehendendus Euripides utpote incuriosior in metro tractando. Inter eos refero versus, si *alterum* primo loco respicimus pedem senarii Herc. fur. 220 („Μινύαισι“); Hel. 88 („Σαλαμίς“); Iph. A. 1604 („Ἀγαμέμνων“); Or. 1655 („Νεοπτόλεμος γαμεῖν“)[1]; — deinde quibus in *tertia* sede efficiuntur anapaesti locis: El. 314 („Φρυγίοισιν“); Or. 459 („Μενέλαε“); — tum in *quarta:* Hipp. 1151 („Ἱππολύτου“); Andr. 14 („Νεοπτολέμῳ“); Troad. 1126 („Νεοπτόλεμος“); Iph. T. 2 („Οἰνομάου“); Hel. 386 („Οἰνομάῳ“); in *quinta* denique Hipp. 32 („Ἱππολύτῳ“); El. 4 („Ἰλιάδι χθονί“) et 315 („Ἀσιατίδες“ [2]); Iph. T. 825 („Οἰνόμαον κτανών“), 1457 („Ταυροπόλον θεάν“). —

Quae exempla etsi satis esse negligenter scripta ab Euripide concedendum est, quum facile alia verborum collocatione et dispositione vitari potuisse anapaestos intelligatur, eorum tamen num jure tentaverit nonnulla Elms-

---

[1]) frgm. 1117, 45 „Δανάης“ in hunc ordinem referre supersedeo. V. §. 12, 2 (s. fin.).

[2]) quo quidem loco Hermannus haud improbabilem conjecturam dedit „πρὸς δ᾽ ἕδραισιν Ἀσίδες“.

leyus [1]), maxime dubito. Accedit, quod conjecturis suis infert in versus vir doctus solutiones, quales nullo pacto esse ferendas ex iis apparet, quae supra exposuimus. Huc pertinet, quod correxisse sibi videtur Iph. T. 825 „*Οἰνόμαον ἑλών*" (pro „*κτανών*") et 1457 „*Ταυροπόλον ἀεί*" (pro „*θεάν*"). Tales enim tribrachos, si admissi essent in quinta sede, majorem etiam poetae negligentiam prodituros fuisse putaverim. —

2. Anapaestum duobus ex vocabulis compositum tolerari posse in tragico versu jam Porsonus negavit (praef. ad Hec. XXI). Mendosum igitur esse Ion. 285 „*τιμᾷ σφε Πύθιος ἀστραπαί τε Πύθιαι*", jam dudum intellexere homines docti. Quotquot vero propositae sunt ad eum locum sanandum conjecturae, certam tamen omni ex parte et indubitatam medelam desiderare adhuc eum persuasum habeo. Cfr. Badham. ad h. v. — Idem censeo de Hel. 9 „*Θεοκλύμενον ἄρσεν᾽ ὅτι*", quem integrum esse et intactum linquendum ut putem numquam adducar [2]). —

3. Prorsus esse secludendos duxi a ceteris versus fabularum *satyricarum*, in quibus paullo liberiorem in universum metri fuisse usum testantur veteres grammatici [3]). Id vero ita videtur intelligendum, ut qui comicas, ut ita dicam, in dramate satyrico agerent partes, eos laxioribus solitos esse uti numeris magisque ad comoediae licentiam accedentibus, contra quibus seriae agendae essent (ut Ulixi in Euripidis Cyclope), ab iis servari severiora tragoediae metra putemus [4]). Itaque quod in illorum sermone ubique

---

[1]) in „Edinburgh Review", 1811, no. XXXVII, pg. 70.

[2]) Numerosior fit hic versus Scaligeri conjectura recepta, post *Θεοκλύμενον* inserentis particulam „*μέν*". Cfr. Fix. praef. ad Eurip. edit. Paris. pg. LXVI. —

[3]) cfr. Schol. ad Hephaest. pg. 183 (Gaisf.).

[4]) cfr. Rossbach et Westphal, l. l. III, pg. 191. Herm. praef. ad Eur. Cycl. pg. XII.

occurrit anapaestus, quippe qui in comoedia in omnibus senarii locis, excepto sexto, haud infrequens sit [1]) non valde mireris. Rectissime vero videtur Hermannus (elem. doctr. metr. pg. 125.) statuere, in satyricis quoque fabulis aliquanto majorem metri curam ante Ol. 89, quam post illud tempus, esse adhibitam [2]). Itaque non dissimile videtur veri, regulam illam, quae antea in metro tractando observari solita sit a poetis, posteriore tempore magis esse magisque neglectam, ut versus etiam eorum, qui tragicas agerent partes, interdum adsciscerent anapaestos alioquin illicitos. Quas inter fabulas quum referendam esse censeamus Euripidis Cyclopem [3]), quod in Ulixis quoque versu anapaestus invenitur, quid mirum? Legitur in altera sede v. 260 „ἐπεὶ κατελήφθη“, quam solutionem injuria, opinor, removere studuerunt Heathius et Hermannus, alter corrigens „ἐπεί γ᾽ ἐλήφθη“, alter „ἐπεὶ οὐκ ἐλήφθη“. — Praeter hunc reperi anapaestos in altero trimetri loco, v. 272 „ἀπόλοιθ᾽ ὁ πατήρ“, 334 „ἀγὼ οὔτινι θύω“ [4]), 546 „ὡς μὴ παριών“ [5]), 562 „ἰδού, καθαρὸν τὸ χεῖλος“, 588 „μέμφει τὸν ἐραστήν“, 647 „ὡς αὐτόματον τὸν δαλόν“, 684 „παίσας κατέαγα“. In tertia sede v. 234 „τούς τ᾽ ἄρνας ἐξε-

---

1) cfr. Hephaest. pg. 34 (Gaisf.) „εὑρίσκεται δὲ παρὰ τοῖς κωμικοῖς συνεχῶς ὁ ἀνάπαιστος· τὸν γὰρ βίον οὗτοι μιμούμενοι θέλουσι δοκεῖν διαλελυμένως διαλέγεσθαι καὶ μὴ ἐμμέτρως· ὁ δὲ ἀνάπαιστος διαλελυμένην ποιεῖ τὴν φράσιν διὰ τὸ τετράσημον.“

2) cfr. Zirndorfer, de chronol. fabull. Eurip. pg. 110.

3) vanam enim esse nec satis firmatam causis Zirndorferi ratiocinationem opinor, hanc fabulam actam esse ante annum 423 censentis (de chronol. fabb. Eur., pg. 111), quam equidem posteriore scriptam esse tempore propter metrum persuasum habeo.

4) neque enim velim assentiri Spitznero (prosod. Gr. §. 52, 4.), qui corripi vocalem υ ancipitem, ut notum, h. l. statuat, praesertim quum ipse a scenicis poetis plerumque eam produci indicet. — Frustra, ni fallor, Herm. h. l. scribi jussit „ἀγὼ οὔτι θύω“. V. infra.

5) ex conjectura Reiskii veri simillima; libri praebent „παρών“. Cfr. Herm. ad h. v. —

φοροῦντο“, ubi nescio cur cum Musgravio legendum esse censeat Gaisfordus [1]) „ἐξεφροῦντο“. Cf. Matthiae et Herm. ad h. v. — In quarta sede v. 154 „οὐ μὰ Δί', ἀλλ' ὀσφραίνομαι“, 232 „οἱ δ' ἐφόρουν τὰ χρήματα“, 558 „ναὶ μὰ Δί' οὐ πρὶν ἄν γε σέ“, 560 „οὐ μὰ Δί' ἀλλ' ᾦνος γλυκύς“ [2]), 566 „οἰνοχόος τέ μοι γενοῦ“. — In quinta denique v. 242 „καὶ μέγαν φάκελον ξύλων“, 274 „καὶ δικαιότερον λέγω“, 582 „τόνδ' ἔχων ἀναπαύσομαι“, 637 „ἀρτίως γεγενήμεθα“, 646 „Ὀρφέως ἀγαθὴν πάνυ“. —

Quae exempla si respicimus, ex duobus etiam, quin immo ex tribus interdum vocabulis compositos anapaestos non respuisse fabularum versus satyricarum elucet. — Itaque ne id quidem admirationem commovebit, quod passim nomina propria in Cycl. conformant anapaestos, quos vitare facile erat. Sic in altera sede v. 582 „Γανυμήδην“, 590 „Διονύσου“; in quarta v. 177 „Ἑλένην“, 581 „Χάριτες“; in quinta v. 273 „Ῥαδαμάνθυος“. —

4. Superest jam, ut de iis agamus Euripidis locis tragoediarum, quibus perverse reperiantur in codicibus anapaesti in sedibus illicitis. Nec tamen eos omnes vocare in censum nostrum esse putavimus, qui in libris deterioris notae inquinatis aperte interpolationibus praebeant anapaestos; eorum tantum rationem esse habendam h. l. duximus, quos invitis quidem optimis codicibus vel correxerint probabiliter homines docti vel corrigendos esse pronuntiaverint. —

Primum obtineant locum anapaesti in *altera* sede librariorum errore scripti in codicibus. — Heracl. 805 ἀμέτρως legitur in cod. Palat. „ἥκεις ἐπεὶ τήνδε“, contra in Florent. „ἥκεις ἐπὶ τήνδε“, tam sensu quam metro cassum. Verum vidit Heathius emendans: „ἥκεις, τί τήνδε“. —

---

[1]) annott. ad Heph. V, pg. 32 (in edit. Hephaest. tom. II, pg. 42).

[2]) ex conj. Hermanni; libri omittunt „οὐ“, quod si fit, metrum prorsus pervertitur.

Med. 1077 librorum „οἵα τε πρὸς ὑμᾶς“ correctum est ex Christ. pat. v. 875 et 1611, ubi deest particula τε, quam interpreti deberi suo jure judicat Kirchhoffius [1]).

Herc. fur. 3 „ἔτικτεν ὁ Περσέως“ correxit Barnes „ἔτιχθ᾽ ὁ Περσέως“, emendatione facillima et maxime probabili. Solent enim librarii explere terminationes vocabulorum apostropho sublatas [2]). —

Herc. fur. 1160 „οὔπω τι λέλειμμαι“ jam dudum delendum esse pronomen „τι“ intellectum est. — Eadem medela adhibita est a Barnesio in Ion. 739 „αἰπεινὰ δέ μοι μαντεῖα“, delente particulam suo, opinor, jure. —

Phoen. 548 „καὶ τῷδ᾽ ἀπονεῖμαι“ in optimis exstat libris, quod jam in recentioribus mutatum est in „καὶ τῷδ᾽ ἀπονέμειν“. —

Iph. A. 62 librorum „τούτῳ συναμύνειν“ correctum est ab Heathio scribente „συναμυνεῖν“. Cf. §. 13, 2. —

frgm. 1074, 2 pro „πολλὰς προφάσεις δίδωσιν“, quemadmodum scripsit hunc versum laudans Theophil. ad Autol. II, 9, pg. 108, conjecit Grotius „πολλὴν δίδωσι πρόφασιν“, Nauckius „προφάσεις καλὰς δίδωσιν“. Utraque solutio conjecturis illata ferri potest, librorum lectio nullo modo. —

Anapaesti perverse illati in *tertiam* sedem senarii unum tantum mihi praesto est, de quo h. l. agatur, exemplum. Bacch. 1308 exhibent libri „ᾧ δῶμ᾽ ἀνέβλεπεν, ὃς συνεῖχες“ [3]), quem locum sanavit Elmsl. restituens „ἀνέβλεφ᾽ ὅς“. — Afferre supersedeo Andr. 909, Suppl. 344, alios locos, quippe qui jam in libris recentioribus exstent correcti. —

Plures vero in *quartam* sedem irrepsisse videntur anapaesti in optimis libris. Sic El. 23 „ποινάτορας εἶχεν“,

---

1) Nauckius „οἵα τ᾽ ἐς ὑμᾶς“.

2) cfr. Fix ad Eur. El. 13.

3) altera vocabuli ἀνέβλεπεν syllaba longa est; neque enim umquam videntur admisisse tragici correptionem syllabae ante consonas βλ in arsi collocatae; cfr. Fix ad Eur. El. 13.

quo loco singularem esse restituendum vidit Porsonus „ποινάτορ᾽ εἶχεν“ [1]). Eandem adhibens medelam sanavit Barnes v. 624, pro codicum „ἐλπίδας“ scribens „ἐλπίδ᾽“. —

El. 978 „πατρῴαν διαμεθίης τιμωρίαν“, quale solutionis exemplum ne Brunckii quidem aut Wellaueri, opinor, defenderent. Jure Porsonus restituit „τῷ δ᾽ αὖ [2]) πατρῴαν διαμεθείς“, cui conjecturae num Nauckii sit praeferenda dubito scribentis „τῷ δ᾽ ἦν ... διαμεθῇς“. —

Iph. T. 991 in libris legitur „σὺ, σοί τε μεταστῆσαι πόνον“, quod egregie emendavisse Canterum „σὺ, σέ τε μεταστῆσαι“ omnes consentiunt (cfr. §. 14, 9.). —

Hel. 834 „τὴν δὲ βίαν σκήψασ᾽ ἔχεις“ particulam δέ, metrum evertentem, primus expunxit Scaligerus. —

Phoen. 836 „δεῦρ᾽ εἰς τὸ λευρὸν πεδίον ἴχνος τιθεῖσ᾽ ἐμόν“ Barnes pro πεδίον substituens „πέδον“, ut numerosus procederet versus, effecit. —

Bacch. 1133 „ἠλάλαζον. ἀνέφερε δ᾽ ἡ μέν“, quo loco Hermannus elegantissima, nec non satis probabili conjectura scribendum vidit „ἠλάλαζον· ἄγε, φέρ᾽ ἡ μέν“. Cfr. §. 14, 2.

De Or 227 v., quae supra exposuimus §. 15, 5.; de v. 394 cfr. §. 24, 6. —

In Or. 700 „ἴσως ἂν ἐκπνεύσειεν· ὅταν δ᾽ ἀνῇ πνοάς“ anapaestus jam in Flor. (*C*) sublatus est exhibente „ἐκπνεύσει᾽· ὅταν“; quam correctionem nescio an recte judicet Kirchhoffius non debere recipi, sed scribendum potius „ἐκπνεύσειεν· ἣν“ aut „ὅτε δ᾽ ἀνῇ πνοάς“.

Or. 1169 „τίν᾽ ἔσχεν· ὃν οὐ“ correxit Barnesius „ἔσχ᾽· ὃν οὐ“. Non multo violentiore usus est medela Porsonus in frgm. 506, 2 sanando „ὁ μικρὸς εὔκρας [3]) ἐγένετο δ᾽ οἷς

---

1) Fixio (in praef. edit. Paris. ad h. l.) probabilius videtur scripsisse poetam „ποινάματ᾽“, cujus locum invaserit glossema „ποινάτορας“ e versu 268.

2) Kirchhoffius „οὖ“.

3) quod ipsum conjectura Valckenaerii restitutum est pro librorum lectione „εὔκρατος“.

ὄγκος κακόν" emendans „ἐγένεθ', οἷς δ' ὄγκος". De frgm. 1117, 30 taceo (cfr. ad §. 12, 2.). —

Restat, ut *quintae* sedis anapaesti afferantur in libris perverse scripti. —

Iph. T. 1174 „βαρβάροις τόδ' ἔτλη τις ἄν", ubi Gaisford et Seidler ejiciendum esse pronomen „τόδε" censuere, Elmsl. veritus, ut abesse posset, conjecit „τόδ' ἤλπισ' ἄν". Aliorum conjecturas affert Köchly ad h. l., quarum quum perquam sint multae, quae maxime placeat, difficile est dictu. —

Iph. A. 489 „πρὶν τὰ πράγματα δ' ἐγγύθεν" correxit Lentingius delens particulam δέ illic nullo pacto tolerabilem. —

Quae emendationes fere omnes facillimae quin cuivis arrideant fieri non posse censemus, quum se ipsae quasi offerre videantur. Et haec quidem res maxime mehercle documento est sententiae supra prolatae, nusquam omnino admissos esse a tragicis anapaestos in alia, atque prima senarii sede, modo excipiamus, quos efficiant nomina propria. Quodsi nonnulli etiam exstare videantur in fabulis Euripideis, si codices sequimur, loci, qui nondum certa emendatione sanati sint, inde concludi non licere putaverim, forsan passim toleratos esse in senariis tragicorum anapaestos, sed omne unusquisque ingenii acumen conferat necesse ad corruptelas tollendas veramque poetae scripturam restituendum. — Inter hos locos refero Suppl. 602, Iph. A. 652, Cycl. 440; deinde Iph. A. 1580, 1584, 1589, 1596, 1610, in quibus quidem emendandis versibus, utpote aperte profectis ab interpolatore „defectum exempli laceri Marte proprio resarciente" (Kirchhoff ad v. 1506), studia collocare vix operae esse pretium videtur. —

Caput quintum.

§. 34.

Omnibus jam enumeratis anapaestis atque, quatenus nostrum esse videbatur, pertractatis, in fine hujus disputationis paucis, quae inde colligenda duximus, liceat exponere.

1. Si *numerum* respicimus anapaestorum in dialogorum senariis admissorum, parce ea usi sunt solutione Aeschylus et Sophocles, nec non Euripides in fabulis majore in metro tractando diligentia perscriptis. Propria enim nomina si omittimus h. l., ille 30 anapaestos adhibuit in 4308 trimetris iambicis, quorum 12 in sola Prometheo leguntur; Sophocles 42 in 7568 trimetris (15 in Philocteta); Euripides in Hipp., Heracl., Med., Alc., Rhes., Andr. 32 anapaestos in 5337 senariis; in ceteris vero fabulis, quae 12488 trimetros continent, ca. 396 anapaestos. In sola Oreste fabula 57 inveniuntur in 1151 trimetris. —

2. Constare videtur, poetas tragicos in *prima* sola trimetri sede admisisse anapaestos, a ceteris locis prorsus exclusos, quippe qui in his numerum iambicum nimis perturbare viderentur atque evertere. Excipiendi tamen in universum, qui nominum propriorum conformantur syllabis.

3. Quum permultorum *nominum propriorum* ea esset forma, ut nullo alio modo in versum possent inferri, in his adhibendis tragicorum versus toleravit anapaestum in alia etiam ac prima sede. Aeschylus tamen, veritus, ne versus orerentur ad comoediae licentiam prope accedentes, paullo liberiore nominum nonnullorum propriorum uti maluit prosodia, quam servata eorum propria pronuntiatione inferre anapaestum alioquin illicitum in senarium (ut alteram produceret syllabam in nominibus „*Ἱππομέδων, Παρθενοπαῖος*“, cfr. §. 27), non quidem dubitans admittere in quinta sede

nomen „Ἀμφιάρεως“, cujus medias syllabas uno spiritu pronuntiatas esse jure licet concludi. — Sophocles illud rejiciens remedium anapaestorum vitandorum non modo, ubi nominum forma cogebatur, admisit plurimos, verum etiam in fabula recentioris aetatis in versum intulit, quem facile potuit vitare (Phil. 794; cfr. §. 31, 1.). Qualis negligentiae exemplis abundant Euripidis fabulae. Cfr. §. 33, 1. —

4. In *satyrici trimetri* unaquaque, excepta sexta, sede ferri potest anapaestus, nominibus etiam appellativis conformatus. Quae antea valuisse videtur regula, ut versus recitati a personis, quae serias agerent partes, tragoediarum artem propius accederent ideoque anapaestos respuerent in alia, ac prima, sede senarii, eam posteriori tempore neglexisse poetas haud veri dissimile, quum jam Cyclops Euripidis suppeditet laesae regulae exemplum. Cfr. §. 33, 3. —

Quaecunque supra de pedum solutorum numero et conformatione in fabulis Aeschyli, Sophoclis, Euripidis exposuimus, accurato singula perpendentes judicio non possumus, quin verum vidisse Hermannum dicamus, recentiori tempore, praecipue inde ab Ol. LXXXIX corrumpi coeptam esse gravitatem numerorum ac majorem invasisse tragoediam sensim incuriam, imprimis in admittendis solutionibus pronuntiantem [1]). — Quod quidem casu factum esse haud sane statuendum; sed quae cujusque aetatis est vis, ut in argumentorum tractatione negligentiores facti esse videntur posteriori tempore poetae, ita ad metra conformanda minorem eos adhibuisse curam, vero haud absonum habemus. Nec tamen licebit ad unguem persequi hanc

---

[1]) cfr. supra pg. 12, ann. 1.

rem nimisque urgere, id quod Zirndorferus fecit concludere posse sibi visus, eo recentiorem esse unamquamque fabulam, quo plures in ea invenirentur solutiones quoque majore eae essent conformatae incuria. Neque enim ubique poetae tribuendum negligentiae, ubi multitudinem invenias pedum solutorum; quid quod interdum summa esse arte factum et de industria, ut plurimi admitterentur, jure, nisi omnia nos fallunt, statuere nobis videmur? Cujus sententiae documento sunt Bacchae Euripidis, qua in fabula ut depingeretur Bacchica exsultatio tumultusque trimetros confecisse poetam solutionibus abundantes dudum intellectum est. Quod si consideravisset Zirndorferus, haud sane protulisset justo illam perplexiorem et artificiosiorem ad tempus hujus fabulae definiendum ratiocinationem de duplici ejus recensione multifariisque interpolationibus recentioris aetatis (de chronol. fabull. Eurip., pg. 106 sqq.) [1]. —

Semper igitur, priusquam quid audeamus colligere ex solutionibus saepius rariusve in singulis tragoediis admissis, respiciendum est consilium poetae, ratioque habenda sententiae loci cujusque, quo una pluresve solutiones reperiuntur adhibitae. Quod si indagamus, nobis non videmur errare, si in universum, quia Sophoclis in dialogis sermo est incitatior et fervidior, quod magis singularum, quas agentes facit in fabulis, personarum indolem atque naturam depingit quaeque iis sint propria, accuratius atque luculentius studet enucleare, plures eum admisisse in numero iambico pedes solutos pronuntiemus, quam, cujus gravitas et cothurnus et sonus paullo sublimior videtur, Aeschylum. Euripidem vero, qui in affectibus quum omnibus, tum in

---

[1]) neque etiam sibi constitisse videtur vir doctus. Nam quum posteriorem tantum Baccharum partem recentioris esse temporis existimet, majorem partem genuinam ac revera profectam ab Euripide habeat (l. l. pg. 107.), quomodo explicandum sit velim dixisset, in priore parte totidem reperiri solutiones, quot in altera, quam spuriam censet. Atqui ante annum 425 actam esse fabulam putavit. —

iis, qui miseratione constant, facile sit praecipuus (Quint. institt. orat. X, 1, §. 68.), ut agitatiores etiam efficeret versus, multo saepius in universum senarii pedes solvisse non est, quod miremur.

Quod trium tragicorum artis discrimen, paucis tantum h. l. indicatum atque adumbratum quum aliis in rebus cernitur, tum luculentissime apparet ex ea ratione, qua quisque poetarum *plures* in *singulis* admiserit senariis solutiones. Quarum numerum in fine hujus disputationis afferre, haud alienum habui a proposito. Aeschylus rarissime tantum, nec sine certo consilio, nisi fallor, binas adhibuit solutiones longarum syllabarum in singulis versibus. Sic Sept. 268 „*ὀλολυγμὸν ἱερόν*“ de femineo ululatu, 495 „*ὄφεων δὲ πλεκτάναισι περίδρομον κύτος*“ [1]); v. 593 „*βαθεῖαν ἄλοκα διὰ φρενὸς καρπούμενος*“, v. 1010 „*ἱερῶν πατρῴων δ' ὅσιος ὢν μόμφης ἄτερ*“; deinde Suppl. 341 „*βαρέα σύ γ' εἶπας, πόλεμον αἴρεσθαι νέον*“; Agam. 1584 „*πατέρα Θυέστην τὸν ἐμόν, ὡς τορῶς φράσαι*“; Choeph. 89 „*πότερα λέγουσα παρὰ φίλης φίλῳ φέρειν*“; Eum. 474 „*ἱκέτης προσῆλθες καθαρὸς ἀβλαβὴς δόμοις*“. Contra jure remota est altera solutio in frgm. 247, 1 „*κρεμάσασα τόξον πίτυος ἐκ μελανδρύου*“ (cfr. §. 28, 2.). — Frgm. 452, 4 et 6 in censum non veniunt, quippe qui versus non sint Aeschylei. — Neque h. l. afferre velim Suppl. 316, cujus lectio non prorsus videatur certa atque indubitata (v. supra §. 20, 1). —

Saepius admisit duplices solutiones in senariis Sophocles, qui et ipse summa arte ad versuum vim augendam iis usus est. Ai. 569, 575, 1302; El. 326; O. R. 990; O. C. 1414; Trach. 9; Phil. 605, 794; frgm. 825, 2 in illorum ordinem proprie non referendi sunt, quum in iis altera vel utraque solutio efficiatur syllabis nominum propriorum. Contra legitur in Ai. 854 „*ὦ θάνατε, θάνατε, νῦν μ' ἐπίσκεψαι μολών*“; O. C. 284 „*ἀλλ' ὥσπερ ἔλαβες τὸν ἱκέτην*

---

1) nisi quis primam hujus versus vocem pronuntiandam esse *βισυλλάβως* per synizesin censeat.

ἐχέγγυον"; Trach. 878 „τάλαιν' ὀλεθρία· τίνι τρόπῳ θανεῖν σφε φῄς" (de v. 879 „σχετλιώτατα πρός γε πρᾶξιν. — εἰπὲ τῷ μόρῳ" cfr. §. 31, 2.); 1096 „θηρῶν, ὑβριστὴν, ἄνομον, ὑπέροχον βίαν"; Phil. 797 „ὦ θάνατε θάνατε, πῶς ἀεὶ καλούμενος", 815 „τί παραφρονεῖς αὖ; τί τὸν ἄνω λεύσσεις κύκλον"; 923 „ἀπόλωλα τλήμων, προδέδομαι· τί μ' ὦ ξένε", 1018 „ἄφιλον, ἔρημον, ἄπολιν, ἐν ζῶσιν νεκρόν", 1029 „καὶ νῦν τί μ' ἄγετε; τί μ' ἀπάγεσθε; τοῦ χάριν", 1232 „παρ' οὗπερ ἔλαβον τάδε τὰ τόξ', αὖθις πάλιν", 1314 „ἥσθην πατέρα τε τὸν ἐμὸν εὐλογοῦντά σε", 1327 „Χρύσης πελασθεὶς φύλακος, ὃς τὸν ἀκαλυφῆ", 1420 „ἀθάνατον ἀρετὴν ἔσχον, ὡς πάρεσθ' ὁρᾶν"; frgm. 304, 2 (dram. satyr.) „ὑπὸ τοῦ δέατος" (cetera desunt), et 731, 2 „ζητῶ, τὰ δ' ἕτερα παρὰ θεῶν ᾐτησάμην". Quorum locorum quod eos, qui in Phil. leguntur, reprehendit Wunderus [1]) negans, eorum similes in alia Sophoclis tragoedia inveniri (id quod enumeratione supra data satis refellitur) non omni ex parte recte fecisse videtur, quum in hac fabula sermonem esse multo incitatiorem et fervidiorem, quam in ceteris, haud meminisset. Itaque ne in eo quidem versu offendendum videtur, in quo tres admisit Sophocles solutiones, v. 932 „ἀπόδος, ἱκνοῦμαί σ', ἀπόδος, ἱκετεύω, τέκνον", quum optime sane ex meo judicio depingat flebilem senis Philoctetae lamentationem arcum repetentis manibus ereptum. Eadem arte, ni fallor, compositus est, ut Oedipodis vehementissima exprimeretur animi concitatio, O. R. 967 „κτανεῖν ἔμελλον πατέρα τὸν ἐμόν; ὁ δὲ θανών", quem injuria, opinor, minime esse tragicum ratus correxit Hermannus pro „ὁ δέ" „ὅς" [2]). —

Multo frequentius ternas in singulis senariis solutiones admissas reperiri, sensus plerumque respectu non habito, non mirum in Euripidis fabulis, quippe quarum ser-

---

1) adverss. in Phil. pg. 43 et 44.

2) praef. ad Eur. Hec. XXXXI.

mo ad comici trimetri levitatem inclinet magis magisque. Sic, ut omittam locos, quibus unam alteramve solutionem efficiat nomen proprium (Andr. 333, Troad. 996, Hel. 390 et 392, Iph. A. 1168, Or. 20, 65, 647, 1057, 1332, 1645) El. 61, Iph. T. 1392, Ion. 1143, Phoen. 584, Iph. A. 466, 1237; Cycl. 203, 210, 560; Bacch. 238, 1067; Or. 248, 310, 547, 643, 1228, 1603; frgm. 267, 2 et 530, 2. Quid quod uno loco quatuor in uno senario reperiuntur pedes soluti, in frgm. 642, 3, id quod quominus revera scriptum esse ab Euripide censeamus, nihil est, quod nos prohibeat. —

Plurimos praeterea exstare versus apud Euripidem, qui binas contineant solutiones, vix operae pretium diserte dicere; quos omnes quum ne longus esse videar verendum mihi sit, ad verbum afferre supersedeo, sufficere censens, eorum numerum accuratius indicasse. Unum reperi ejus modi [1] locum in Hipp., v. 1223 [2]); unum in Heracl., v. 70; tres in Med., v. 324, 710, 1322; totidem in Alc., v. 10, 159, 802; unum in Rhes., v. 286; tres in Andr., v. 253, 613, 1157; deinde sex in Hec., v. 320, 345, 544, 882, 1145, 1281; quatuor in Suppl., v. 507, 556, 905, 1066; octo in El., v. 52, 310, 506, 600, 794, 826, 980, 1028; sedecim in Herc. fur., v. 194, 304, 458, 489, 493, 515, 523, 547, 549, 592, 716, 935, 968, 1129, 1133, 1360; quindecim in Troasin, v. 6, 351, 419, 424, 769, 774, 779, 937, 1144, 1168, 1170, 1186, 1197, 1232, 1274; undeviginti in Iph. T., v. 20, 69, 79, 107, 246, 307, 493, 499, 545, 566, 776, 918, 949, 953, 1027, 1037, 1085, 1183, 1452; quatuordecim in Ione, v. 46, 259, 310, 325, 355, 365, 800, 825, 972, 983, 1182, 1334, 1339, 1389; viginti septem in Hel., v. 65, 77, 87, 283, 390, 456, 480, 570, 609, 711, 720, 722, 776, 825, 871, 958, 966, 991, 1016, 1043, 1089, 1103, 1234, 1236, 1247, 1384, 1536;

---

1) omisi in hac enumeratione eos versus, in quibus nominum syllabis propriorum altera efficitur solutio; quorum numerus et ipsorum haud exiguus est.

2) nam v. 1029 spurium esse demonstravit Valcken. ad h. l.

viginti sex in Phoen., v. 368, 390, 398, 414, 477, 486, 493, 509, 532, 538, 539, 545, 553, 569, 747, 751, 918, 996, 1125, 1314, 1369, 1400, 1601, 1647, 1669, 1697; viginti quinque in Iph. A., v. 410, 500, 508, 527, 620, 628, 641, 660, 697, 931, 941, 982, 1132, 1142, 1156, 1188, 1216, 1220, 1270, 1409, 1415, 1441, 1450, 1453, 1589; viginti tres in Cycl., v. 1, 99, 126, 211, 221, 230, 232, 249, 272, 287, 307, 394, 410, 434, 440, 546, 553, 558, 587, 671, 677, 684, 691; quadraginta quinque in Bacch., v. 8, 33, 38, 45, 57, 59, 201, 261, 272, 276, 296, 310, 320, 447, 455, 480, 492, 494, 502, 692, 700, 719, 725, 726, 731, 739, 742, 745, 747, 749, 755, 807, 831, 950, 951, 967, 1051, 1064, 1079, 1110, 1128, 1247, 1301, 1345, 1356; quinquaginta sex in Or., v. 25, 27, 37, 52, 64, 83, 86, 99, 135, 211, 220, 232, 234, 244, 246, 249, 261, 288, 313, 315, 367, 368, 373, 374, 383, 396, 439, 472, 473, 481, 492, 493, 502, 523, 558, 570, 589, 597, 658, 723, 889, 890, 905, 906, 921, 922, 1038, 1044, 1048, 1141, 1142, 1173, 1227, 1585, 1614, 1659. Denique duodeviginti in frgm. 68, 5; 81, 1; 168, 1; 250, 1; 257, 5; 259, 2; 284, 19; 495, 4; 504, 6; 522, 5; 557, 2; 609, 1; 627, 1; 736, 4; 843, 1; 971, 2; 1039, 9; 1068, 2. — His adde versum, quem Schol. ad Aristoph. Plut. 907 affert ex Euripidis Bacchis desumptum „εἰ μὴ γὰρ ἴδιον ἔλαβον εἰς χέρας μύσος“, quem ex Agavae oratione, in nostris codicibus aperte manca, repetitum esse haud inepte conj. Tyrwhittus [1]).

Solutiones has omnes, quo supra indicavi modo, ad sensum examinare accuratoque perpendere judicio, quasnam de industria adhibuisse videantur poetae, quae eorum negligentiae sint tribuendae, non meum esse ratus, satis equidem habui, omnes omnino h. l. enumerasse pedes solutos in senariis. Illam vero, quam tetigi, rem, quod qui

---

[1]) cfr. Nauck. annot. crit. ad Eur. fabb. I, pg. L.

majore arte et elegantia versus composuerunt poetae, solutiones fere ubique adhibuerunt iis tantum locis, quibus sensui viderentur convenire, ne dicam postulari, haudquaquam esse vanam atque caducam ipse persuasum habeo; quod ut uno tantum comprobem exemplo, jure mihi videor observasse, in Soph. Ant. in Creontis et Antigones versibus, quippe qui agant ubique animi summa concitatione et impetu, plurimas inesse solutiones; contra Haemonis sermonem et Ismenes, animi vacuorum perturbatione, quiete profluere et puris plerumque iambis procedere; Tiresiam denique initio gravioribus uti numeris, dein vero incitatum et exagitatum versus pronuntiare pedum pleniores solutorum.

Similia observes, si conferas Aesch. Choeph. v. 163—245 cum v. 246 sqq.; Soph. Ai. 646—692 cum 815—865; Eur. Hec. 342—378 cum versibus ceteris hujus fabulae.

Revertimur igitur in disputationis fine ad id, unde egressi sumus in praefatione; singula vero accuratius ex iis, quae supra conferre, quantum vires valebant, studuimus, indaganda uberiusque comprobanda aliis linquimus.

Berolini apud Weidmannos (I. Reimer.)

Impr. Gottingae in officina acad. E. A. Huth.

CORRIGENDA.

Pag. 14 l. 20 lege 335 pro 325
» 15 » 13 » 596 » 296
» 17 » 25 » 318 » 418
» 21 » 15 » 306, 1 » 309, 1.
» 24 » 30 » arctissime pro arctissima
» 26 » 6 » 658, 1013 » 653 et 1013
» 28 » 31 » Pers. pro Prom.
» 29 » 26 » nulla » ulla
» 30 » 30 » 588 » 538
» 32 » 10 » usum » usus
» 44, ann. l. 11 lege 1182 pro 1151
» 45 l. 24 lege ullum pro nullum
» 50 » 20 » 972 » 992
» » » 28 » decem » undecim
» 58 » 14 » 779 » 799
» 59 » 17 » 4. » 3
» 63 » 28 » 782, 2 » 78
» 87 » 17 » bis » his
» 93 » 13 » dactyli » dactylis
» 97, ann. l. 2 lege 214 pro 241
» 100 l. 18 lege 1335 » 1535
» » » 28 » sit » est
» 103 » 2 » quadragies pro quadragesies
» » ann. 2, l. 2 lege 184, 3 » 984, 3
» 105 l. 8 lege 1018 pro 1008
» 120 » 14 » 509 » 590
» 125, ann. 3 » 89 » 98
» 95 dele annot. 3)
» 103 l. 22 dele verba: „cfr. ad §. 14, 1.“

Praeterea exciderunt pag. 20, ann. 1, l. 2 verba „quam diligenter“ post „si“, pg. 45, ann. 2, l. 2 „restituentem“ post „καθαρῶς“, pg. 104, l. 31 „unus et“ ante „septuaginta“, pg. 139, ann. 2, l. 1 „scribens“ post „335“. — Nonnulla alia leviora facile ipse corriges. —

THESES

QUAS

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

AUCTORITATE ATQUE CONSENSU

IN

ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA

PRO

SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS

RITE OBTINENDIS

DIE XIX. OCTOBRIS A. MDCCCLXV

HORA IX

PUBLICE DEFENDET

CAROLUS FRIDERICUS MÜLLER,

VERDENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

O. PAULI }
F. HÄUBLER } SEMINARII PHIL. NUPER SODALES.

GOTTINGAE

TYPIS EXPRESSIT OFFICINA ACADEMICA HUTHIANA.

I.

Non consentio cum G. Dindorfio, in tragicorum Graecorum senariis, ubicunque per metrum licet, formam ionicam „ἱρός“ pro trisyllaba „ἱερός“ reponenti.

II.

In Eur. Hipp. 685 scribendum est: „οὐκ εἶπον, — ει σῆς προὐνοησάμην φρενός, — σιγᾶν . . .“

III.

Injuria existumant homines docti plerique, in Eur. Hipp. v. 810 Phaedrae cadaver per machinam, quae ἐκκύκλημα vocatur, conspicuum fieri spectatoribus.

IV.

Aristoph. Acharn. v. 770 cum Elmsleio scribendus est „οἴ δεινά; θᾶσθε τόνδε· τᾶς ἀπιστίας.“

V.

Theocr. idyll. XV., v. 27 sqq. ita videntur esse restituendi:

„Εὐνόα, αἶρε τὸ νῆμα, καὶ ἐς μέσον, αἰνόθρυπτε,
θὲς πάλιν —. αἱ γαλέαι μαλακῶς χρῄζοντι καθεύδειν.
κινεῦ δή· φέρε θᾶσσον ὕδωρ· ὕδατος πρότερον δεῖ.
ἃ δὲ σμᾶμα φέρει. δὸς ὅμως· μὴ δὴ πολύ, ἄπληστε.
ἔγχει ὕδωρ. δύστανε, τί μευ τὸ χιτώνιον ἄρδεις;“

VI.

Recte conjecit Horkel., in Hor. Sat. I, 4, 14 scribendum esse: „Crispinus numero me provocat . . .“

VII.

Senecae tragoedias justo acerbius vituperaverunt recentiores homines docti, quia neque recitationem, cujus causa scriptae sunt, neque metrorum artem, ut par erat, respexerunt.

VIII.

Iis assentior, qui inde a Clisthene sorte ductos esse magistratus censent.

IX.

In Hartmanni carmine, quod inscriptum est „Iwein," v. 1277 legendum esse censeo „Sîn wir mit gesehnden ougen blint?"
